DIES
VERÆ VITÆ

Conſecratus

PRÆPARATIONI

AD

SANCTAM MORTEM.

Ex libris P. D. Joannis Candij E.C.M.

OPUSCULUM

Applico Eremo Varsaviensi.

à

REVERENDO PATRE

JOSEPHO MARIA PROLA,

è Societate Jesu

Primùm Italicè conſcriptum

&

Poſt decimam quartam

editionem

In

Pium usum, & solatiosum fructum

DOMINORUM DOMINORUM

ALMÆ CONGREGATIONIS LATINÆ MAJORIS

BEATISSIMÆ VIRGINIS

MARIÆ ANNUNTIATÆ

In Academico Societatis JESU Collegio Pragæ ad S. Clementem erectæ

CONFOEDERATORUM, & CONSODALIUM

Latinè redditum

à quodam

Societatis JESU Sacerdote,

Anno M. DCC. XXIII.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Pragæ, typis Univers. Carolo-Ferdin. in Colleg. Societatis JESU ad S. Clementem.

ALMA SODALITAS
LATINA MAJOR
BEATISSIMÆ VIRGINIS
MARIÆ
Ab
Arch-Angelo ſalutatæ,
In Cæſareo, & Academico Societatis JESU Collegio Pragæ ad S. Clementem erecta, & confirmata,

DOMINIS, DOMINIS
Confœderatis,
& Sodalibus ſuis
Salutem, & felicitatem.

OPuſculum præſens, quod in manus veſtras conſignamus, DD.

Sodales Parthenii, munus posthumum est à p. m. Illustrissimo, ac Excellentissimo Domino, Domino Joanne Petro Straka, L. B. de Nedabelitz, & Libtschan, Domino in Libtschan, Okrauhlitz, Zdiar, Oberwekelsdorff, & Jonsdorff, Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis Intimo Consiliario, & Camerario, Congregationis nostræ Confœderato, ac Sodali, ad vos libe-

liberaliter transſmiſſum. Is deſideriô incrementum Divinæ gloriæ, & honoris Mariani augmentum apud poſteros promovendi, Mariano Cætui noſtro munificô donô ex ultima voluntate ſuccurrit, ea lege, ut pius libellus, Dominorum in DEIpara Conſodalium profectui ſerviturus, typis commendaretur. Laudabile ſtudium! exemplum imitatione digniſſimum! Cui, quo-

nam pacto velificaremur optimè, dum ſoliciti expendimus; opportunè in manus noſtras delapſus eſt hic ipſe, quem cernitis, tractatulus, ab authore ſuo Italicè conſcriptus, cujus vel frontem intuentibus, placuêre prima vultûs lineamenta, in titulo prælata: *Il giorno di vera vita, conſecrato all'apparechio d'una ſanta morte.* Id eſt: *Dies veræ vitæ conſecratus præparationi ad ſanctam mortem.*

tem. Arriſit opuſculi jam decies quater ſub prælo renati excellentia, themáque efficaciſſimis ad finem ſuum argumentis per omnia refertum, videbatur tam noſtræ, quàm Mecænatis intentioni peraccommodum: Cùm enim illi vitæ, mortísque confinia ſuaſerint, ut munificentiâ ſuâ vulgatis paginis Marianos Conſodales doceret piè vivere; aptiſſimus huic fini viſus eſt tractatu-

lus, qui docet ſanctè mori: optima namque vivendi Philoſophia eſt meditatio mortis. Quid præterea convenientius, atque ut per conſtituti libelli magiſterium in felici morte ſentiant fructum beneficii, ex felici, ùt piè confidimus, morte benefacientis nati? Et nunquid congruum eſt, ut Virginis ab Arch-Angelo ſalutatæ Clientes, ac Sodales, qui Mariano Ave

quo-

quotidiana ſubnectunt vota : *Ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis.* Marianô donô habeant facilem beatè moriendi methodum, quâ ſuſpiriorum ſuorum terminum certò certiùs conſequantur ? Boni proinde delectum noſtrum conſulite DD. Sodales Parthenii, & dum munus ab Illuſtriſſimo, ac Excellentiſſimo Domino Mecænate, ac Conſodali veſtro benevolè dela-

delatum recipitis, ſimul debitæ gratitudinis vices, quà ſuffragiis pro anima defuncti oblatis, quà pio ſaluberrimi libelli uſu eidem reddite, qui veſtri uſque ad mortis limen ſtudioſiſſimus deſtinatô veſtrum in emolumentum opuſculô videri voluit. Eamdemum gratiis veſtris proſequi non deſinite, quæ manet vobis

DOMINI DOMINI
SODALES PARTHENII

*Devotiſſima Sodalitas
Latina Major Pragenſis.*

IDEA OPUSCULI.

§. I.

IN vitæ humanæ Theatro mors, si eventum ejus spectes; est actus ultimus: si difficultatem; primarius: si quanti sit momenti; est unicus. Quamobrem nemo est dissolutorum adeò morum, judiciíque adeò depravati, qui non desideret felici morte concludere scenam hujus vitæ. Verùm ùt insanæ mentis est in hoc sæculi statu sperare ab anima operationem absque sensuum suppetiis; ità est temerarium velle finem consequi, nec apta fini deligere media. Proinde si felicem ex hac vita exitum nancisci cupimus,

triplicis sortis præparationem censeo necessariam, quarum Prima est universalis, & consistit in vita, & moribus ad amussim dictaminum Evangelicorum conformatis: Secunda particularis, certísque anni temporibus exercenda: Tertia singularis, dum gravior imminet infirmitas, adhibenda. De secunda hìc solùm ago, cui mensibus singulis diem unum dandum suadeo, quo te providè illo in statu colloces, in quo mori velles, exercendo te in iis virtutum actibus, & operibus, quæ elicere, ageréq; convenit, dum homo non per imaginationem, sed reapse decumbit in lectulo mortuali. Hanc præparationē, si executioni dederis eâ, qua par est, exactitudine, spero fore, ut nec primæ desis, nec tertiæ. Primæ, quia malè non vivet, quicunque didicerit bene mori; & discet bene mori, qui moriendi scientiæ frequentem operam navando ad hoc extremum punctum direxerit omnes lineas cogita-

tionum

tionum, & actionum, quibus decurritur in vitæ circulo. Tertiæ; quia, ùt S. Augustinus docet: *non potest malè mori, qui bene vixit,* (a) non potest malè succedere, nec infelix eventus metui actûs illius, quem longa & sensata excepit præparatio. Meditationes hìc subnexæ, quarum singulis horæ spatium tribuendum est, sunt nonnihil fusiores, tum quòd ad unicum diem restricta hac præparatione ad negotiorum maximum, fortassis ultima, æstimârim nihil eorum esse omittendum, quibus intentum opusculi saluberrimi finem meliùs obtinerem; tum quòd perspectum haberem non omnes veritates vi æquali pollere in omnes: cùm iste ab una, ille moveatur ab alia. Cùm insuper hæc praxis directa non sit in usum personarum meditandi, argumentandi, & in arcanos sensus investigandi studio assuetarum, sed universorum. Hinc muneris mei esse

 duxi,

(a) *lib. de discipl. Christ. cap. 12.*

duxi, hoc in campo paſcendis providere potiùs abundanter, quàm parcè. Nolim etiam, putet aliquis intrà punctorum præfixorum terminos ſibi eſſe conſiſtendum, quin potiùs opto, ut ea legendo, veritates ſibi propoſitas ad rationis libellam expendat, & quò agnitæ veritatis pondus flectet intellectum, eò ſequatur voluntate. Nec diffido, ſi vitæ neciſque Dominus vivendi ſpatium extenderit, tempúſque dederit hoc ſalutaris ſtudii thema ſæpiùs repetendi, quin major ſemper conſolatio, majórque fructus, in ſolertem lectorem redundabit.

PRAXIS
Comparandi ſe ad mortem.

§. II.

QUemadmodum determinata lex ac regula, cujus ad amuſſim actiones noſtræ diriguntur, evidens argumentum eſt animi bene ordinati: ità

ità pariter voluntati eſt ſtimulus inchoatum opus facilè ac conſtanter proſequendi. Idcirco tibi author ſum, ut deſignes huic præparationi (quantùm tui ſtatûs admittit conditio) diem aliquem certum ac ſtabilem vel primum, vel ultimum, vel penultimum menſis cujuslibet, vel illum, quo ex more accedis menſam Euchariſticam pro obtinenda felici morte (qui quidem foret convenientiſſimus) vel alium certè tibi commodiorem. Die illo magìs, quàm aliàs, amanda eſt ſolitudo, vitanda aliorum viſitatio tam activa, quàm paſſiva. Nec durum id tibi accidere ſinat ſalutis tuæ amor. Si enim tot tantíque valetudinis deſideriô acti, corpus purgant quot menſibus; ſi curæ hujus ſtudiô quandoque nec inviſi ſe volunt ab aliis, nec alios inviſere; ſi domo tantiſper relicta ad campos tranſeunt animi recreandi gratiâ, quin difficilè accidat negotia certa nonnihil interrumpere: ſitu ipſe, ut

invitanti ad exhilarationem amico deferas, aut, qui ex genio tuo eſt, ſodali; nil penſi habes laboribus tuis & officio per plures etiam dies valedicere: cur animæ tuæ ſalus, & ſalutis amor te non impellat, ut idipſum agas die conſtituto in negotium tanti ponderis, à quo uno dependet æterna felicitas?

2. Veſpere diem illum præcedente leges § 3. de neceſſitate, vel 4. de utilitate, vel 5. de jucunditate hujus præparationis.

3. Eodem veſpere antequam concedas cubitum, imaginare tibi, quòd ſanctus Angelus Cuſtos tuus DEI nomine tibi mortis ſententiam ferat iiſdem, quibus Iſaias Propheta Regi Ezechiæ, verbis: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* (a)

4. Die ipſo manè cùm primùm indutus fueris, facies primam meditationem de morte: qua finita genuflexus corã crucifixo leges Rhythmũ, quem

(a) *Iſai. cap. 38. v. 1.*

quem Ecclesia ponit in Missa defunfunctorum : Dies iræ dies illa, &c. leges autem hos versus attentè cum reflexione intellectûs & affectu voluntatis verborum sensui proportionatis : vel saltèm consideratè leges colloquium ibi subnexum.

5. Post meditationem leges directionem pro confessione, & te ad illam dispones.

6. Accedes ad sumendum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum juxta præscriptam methodum.

7. Post sacram communionem, & devotam gratiarum actionem præparabis te ad secundam meditationem de Resignatione.

8. Indulta tibi post prandium quiete moderata, leges directionem ad faciendum testamentum.

9. Sub vesperum facies tertiam meditationem de spe.

10. Post cœnam facto examine conscientiæ, recitabis cum affectu, mox antequam te in lecto componas, commendationem animæ.

Necessitas hujus Præparationis.

§. III.

QUi roſam tentaret pingere, etiā colorum omnium gratiam illi jungendo, macularet illam, minimè ornaret. Talis naturæ eſt veritas, quæ eò meliùs veſtitur, quò magis nuda proponitur. Neceſſitas præparandi ſe ad mortem, eſt una inter maximè ſubſtantiales, & pretioſas veritates, quas nobis offert Euangelium: hanc velle colorare ornamentis eloquentiæ, eſt velle corrumpere, & deformare. Dicam igitur planè ac nudè, quòd comparatio ad bonam mortem, cujus tibi hìc ſubjicio ideam, & praxin expono, neceſſaria ſit ex quatuor capitibus: quia nimirum tuâ ſummè intereſt bene mori: quia negotium eſt temporis non modici; & quidem temporis ſedulam conſiderationem expoſcentis: negotium, quod ſi

si malè succedat semel, reparabile sit nunquam. Auspicemur discursum à primo: certum tenes, quòd exitus ex hoc mundo, securus de felici morte, sit ingens illud negotium, ad quod dirigitur gubernium totius vitæ, & quòd vita nobis à DEO concessa sit, in hunc finem, ut nos disponamus ad sanctam mortem; sicut in lancea, tota hastæ longitudo in gratiam est cuspidis, quæ sola penetrat & vulnus infligit; sic longum vitæ tempus est propter ultimum momentum mortis, à quo solo pendet beata æternitas. Idcirco ars moriendi est ars artium, & artibus universis præferenda; est enim scientia salutis & quidem æternæ. Expende omnia mundi negotia, non reperies ullum, quod comparari possit cum negotio his paucis syllabis expresso: *salus æterna.* In hoc agitur de assecuranda anima, & quidem tua, & unica. Agitur de illa salvanda pro semper, aut perdenda pro semper: agitur de transigenda be-

da bene vel malè una integra æternitate: agitur de acquirendo Paradiſo, vel incurrendo inferno: agitur de poſſidendo, vel perdendo DEO pro ſemper. Quid ais? éſtne aliquid in terris, quod à te exigat majorem, ac magis ſeriam animi applicationem? éſtne aliquid, quod ſibi expoſcat à corde tuo ſolicitudinem operoſiorem? nihil certè.

Jam iſthoc animæ tuæ negotium; negotium ſalutis tuæ; negotium totius æternitatis: dic, amabò, à quo dependet? dicam ego: à momento mortis. DEUS enim ſecundùm ſtatum, in quo homo ſub vitæ ſuæ Epilogum conſtitutus fuerit, judicare decrevit de ejus æternitate felici, vel infelici, ità ut ſupremum vitæ inſtans ſit decretorium tuæ æternitatis. O quale inſtans! ò quale punctum! ó quale momentum! Vides igitur, quòd non ſit munus ullum, cui te magis applicare debeas, quàm ſtudio bene moriendi. Vides, quòd nunquam

tantum

tantum præſtabis, quantum exigit præparatio ad fatalem paſſum ex hoc ſæculo ad æternitatem; tanti ponderis ſunt ejus conſequentiæ! Momentum ſanè, à quo pendet æternitas bona, vel mala, meretur ut illi cætera omnia vitæ momenta conſecrentur. Si Principes gemelli, Patre mortuo, aſpirarent ad coronam, útque cruenta evadant bella, eam legem inirent, ut qui eorum ictu felici centrum ferierit ſcuti aurei, in ſcopū deſignati, Rex coronetur; qui econtra infauſto ictu erraverit, ſceptrum amittat; quia verò neuter ſagittandi artem callet, concedantur illis dies quatuor, quorum intervallô ſuam in hac palæſtra erudiant dexteritatem: dic obſecro, quantum illis non incumberet debitum, hoc tempus gnaviter impendendi? putáſne illud exigent in comædiis? in venationibus? in jocis? in ſocietatibus? Nónne ſtultitia foret cogitare de alio, præterquam de medio, quo aſſequantur

 ſuum

ſuum finem ? Non aliud erat tuum in hoc mundo naſci chare Lector, quàm à DEO tibi arcum porrigi, quo centrum felicis æternitatis tangeres in puncto mortis. Ab hoc dependet tua vel gloria, vel pœna æterna; vel eſſe Regem, vel ſclavum pro ſemper. Tempus te ad hoc erudiendi, eſt vita. Quid enim: ſi judiciô gentilis, qui ultra præſentia non proſpexit: *Totâ vitâ diſcendum eſt mori*, (a) an tibi multum videtur à temet exigi, ut te impendas in aſſecurationem hujus puncti uno die per quemvis menſem? ah! deberes inſuper ſtudere arti huic diebus ſingulis; quia dies quilibet, & momentum quodlibet, poteſt eſſe vitæ tuæ ſupremum. *Latet ultimus dies* (inquit S. Auguſtinus) *ut obſerventur omnes dies.* Et ecce alterum motivum, propter quod neceſſaria eſt hæc præparatio, quia bona mors eſt negotium, quod ut bene tractetur, temporis moram exigit, quam tamen ſubita

mors

(a) *Seneca.*

mors negare poteſt. Eſt dies, quo te mors expectat; ſed ignotus tibi: in illo die momentum unum eſt, quo mors ictum ſuum in te vibrabit; ſed quodnam hoc ſit momentum? ignoras. *veniet ſicut fur*, (*a*) incipies illud negotium, illud ædificium, hoc propoſitum, illud litigium, & fortaſſis non videbis finem ejus; Veſpere ibis cubitum, & fors manè invenient te mortuum. Quot non tibi notiſſimi, forſan etiam cognati, etiam vicini fuerunt morte ſubitanea è vivis abrepti? hoc ipſo anno, quot non improvisò fuerunt obruti. Hæc tibi nimiùm quàm nota ſunt. Fuerunt hi omnes bene gnari, quòd anno præcedente multi ſic fuerint ſublati. Putásne: vel unus ſeriò ſecummet reputaverit: annô præterlapsô mortuus eſt ille amicus meus: mortuus eſt iſte vicinus meus: mortuus eſt hic intima familiaritate mihi conjunctus, & mortuus eſt inexſpectatè: fors idipſum

(*a*) *Apoc. 16. v. 15.*

pſum mihi poſt paulùm accidet? Non, non, non cogitârunt iſtud, aut, ſi cogitârunt, non perſuaſerunt ſibi, quòd mortis falci tam citò ſubjiciendi ſint: & tamen illi ipſi uno ictu ceciderunt. Jam quæro, ésne tu complexionis robuſtioris; temperamenti ſanioris; ætatis minùs provectæ; quàm tot alii, quos noviſti, quibuſcũ vixiſti, & qui ſubitò diſparuerunt? Esne illis ſecurior à tot accidentibus, quæ improvisò, & velut ex inſidiis eos morti tradiderunt? quis te ſecurum præſtat, quòd intrà te non lateat occulta mors, quæ jamjam tibi necem clàm elaboret? quis te certum eſſe jubet, quòd illa eadem nondum ſit vicina termino? Horologium excitatorium tota nocte currit: facit aliqualem ſtrepitum, ſed non excitat, donec attingat punctum à directore præfixum. Ah, inquit S. Auguſtinus, mors jam currit in horologio tui corporis, ſed abſque ſtrepitu: tunc ſolùm audietur, quando attinget momen-

mentum à DEO constitutum ; tunc excitabit te, sed ad videndum alterum mundum: *vita hæc misera est, mors incerta : si subitò obrepat; quomodo hinc exibimus? & ubi?* (*a*) ô verba ingenti ponderatione dignissima! si mors improvisò te obruat, ubi amabò, ubi disces, & quando in praxim reduces id, quod nunc neglexisti? Imaginare tibi Navarchum, qui navim portu solvens, veláque objiciens ventis, certò sciat tranandum sibi esse maris sinum, in quo periculosum scopulum sit offensurus, & solùm ignoret, quo in loco illum sit experturus: hìc videbis, ùt hac una cogitatione occupatus nauclerus, apertos incessanter oculos jam intendat in omnem navis motum ; jam in suspectos semper maris fluctus, ut nihil omninò negligat, quo dirigatur ad transitum, à quo vel sua ruina pendet, vel fortuna, imò & vita ipsa. Profectò vita nostra est navigatio quædam in tempestuo-

(*a*) *Aug. L. 6. confess. cap. 11.*

pestuoso mundi hujus mari : *Vita nostra naviganti similis est*, (*a*) ait S. Gregorius. Mors scopulus est, in quem appellimur, incerti ubi deliteat, in quo loco, in quo tempore.

Igitur nunquam non intentô in omnem partem oculô vigilandum est. Ad hoc nos excitat Dominus apud S. Matthæum : *vigilate, quia nescitis diem, neque horam*, (*b*) & apud S. Lucam : *Estote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet.* (*c*) observa : quòd non dicat : *præparate vos.* Non. Sed : *estote parati.* Cur? quia veniam vos judicare, quando minimè expectatis : *qua hora non putatis.* Monarcha, qui scit sibi mortem occultè parari à perduellibus, prævidere tamen non potest, à quo, quomodo, aut quando; omnē cautelam adhibet, quam potest vigilantissimam : nulli diligentiæ parcit, qua securū se præstet. Vigilias duplicat : suspectos habet vel illos, à quibus

(*a*) Greg. Lib. 6. Ep. 6. (*b*) Math. 25. v. 13. (*c*) Luc. 12. v. 40.

bus ſalutatur : timet omnes & omnia. Tu quis vel qualiſcunque ſis, habes in quavis hedomade quatuordecim inimicos , qui fatales tibi ſtruunt inſidias: Eorum aliquis haud dubiè tibi necem inferet. Vin' quinam ſint illi? ſunt dies & noctes, unus ex illis infallibiliter te occidet, nec ſcis qualis. Forſan dies? hoc neſcis. Fortaſſis nox? neque iſtud ſcis. Fors morieris die lunæ? fors die veneris? neſcis. Nónne ergo pro ſuſpectis habendi ſunt dies ſinguli, & noctes ſingulæ? An non ſemper timendum, nè non dies hodiernus abrumpat omnes intentiones tuas? annon ergo neceſſarium vigilare, an non neceſſarium ſe tempeſtivè præparare? idcirco S. Paulus ſcribens ad Timotheum, exhortatur illum, ut cuſtodiret pervigil animam, & corpus, quæ accepit à DEO tanquam depoſitum: *bonum depoſitum cuſtodi.* (*a*) Utrumque vocat *depoſitum*, & non *cenſum*; quia depo-

(*a*) 2. *Tim.* 1. *v.* 14.

depositũ non habet tempus determinatum, quo reddendũ sit, potest à Domino repeti hora qualibet. Scio mortem nõ impediri vigiliis tuis, quò minùs in te insiliat, & te exterreat (quod quidem ità certũ est, ut nihil certius) hoc autẽ te scire velim: non hìc quæri, ut mortẽ effugias temporalem, sed æternam, quæ consequitur temporalem. Si hæc imparatos nos inveniat, magnum est periculum subjacendi alteri. Referunt naturæ scrutatores Philosophi, quòd lupus, si priùs hominem videat, quàm ab eo videatur, occulto quodam effectu aërem ità inficiat, ut homini vocem tollat, & infelix clamare non possit, nec opem implorare. Haud aliter mors; si prior nos videat; prima nos occupat, reddit mutos, vocem tollit, ac vires divinum auxilium implorandi. Quapropter oportet illam prævenire, & se ad illam comparare: cæteroquin eveniet nobis, quod virginibus fatuis, quæ desiderârunt oleum,

ut implerent lampades ſuas, & poſtulârunt id ſibi dari à virginibus prudentibus; ſed harum nulla iis ſuccurrit, atque itâ improvisò veniente ſponſo, tempus non habuerunt ſibi de oleo providendi, hinc clausâ januâ remanſerunt excluſæ cum: *Neſcio vos.* (*a*)

Sed quamvis DEUS ex hoc in alterum mundum te non evocaret morte improviſa, hæc nihilominus præparatio ſummè foret neceſſaria, quia mors eſt negotium, ad quod non ſolùm opus eſt tempore, ſed tempore opportunè impenſo; certæ autē infirmitates nec tempus tibi concedunt, nec opportunitatem. Furioſum delirium, profundus letargus, violentus dolor, qui obruit, & pauculas poſt horas ad extrema deducit, offuſcat rationem, efficítque, ut homo ſui compos non ſit. Verùm eveniat, per me licet, ut lenta morte, quæ comūnior eſt, obeas: dicere tamen audeo, morie-

(*a*) *Matth.* 25. *v.* 12.

morieris imparatus, si transtuleris præparationem usque in illud tempus, quo conspirant omnia ad fallendum infirmum. Conjux, cujus tua sanitas plurimùm interest, continuò blanditur, & tibi, & sibi dicendo, quòd omnia sint in bono statu. Filii gratulabundi se consolantur, quòd infirmus pristinum colorem recipiat. Amici vultum examinant, & bonum etiam ipsi augurium indè capiunt. Medici fatali complacentia eodem utuntur sermone, & spes cæterorum confovent; infirmus vitæ amore illectus his lenociniis fidem lubenter adhibet. Domestici omnes censent infirmum, ùt ùt desperatæ sit valetudinis, non esse contristandum tam cita Sacramentorum collatione. Spondeas tibi certò, quòd quantumcunque sub morbi principium obtestatus fueris amicos ac conjunctos, ut essent fideles in periculi imminentis tempestiva denuntiatione; post omnia non sis exaudiendus, vel saltèm

serò

ſerò nimium, ità enim ſuadebit pru-
dentia mundi, ità falſus amor, ità ſpes
exilis emolumenti. Cùm infirmus
es, non es ampliùs dominus, ùt ùt cæ-
teroquin dignitate conſpicuus ſis, ùt
ùt domûs tuæ caput ſis: totus depen-
des ab illis, qui circa te verſantur; a-
deò, ut dictatis tibi legibus ac manda-
tis, quin ſenſum animúmque tuum
explorent, ad quodcunque voluerint,
te ſint obligaturi. Ad hæc tibi per-
ſuaſum velim, quòd periculum iſtud
parte ſui maxima trahat originem à
temetipſo; ſiquidem timor naturalis,
quo homo fugit mortem, in ægroto
efficit horrorem omnis illius, quod
ipſi in mentem revocat viciniam ex-
tremi paſſûs ad æternitatem. Hinc
utcunque amicorum pietas vigilibus
deſideriis optet providè inſinuare in-
firmo periculum, nihilominus dum
mortis pavorem in eo notant, nè me-
tûs augmentô vis morbi aggravetur,
moras trahunt, cum perículoſiſſima
cautela, decumanam ſententiam de-
nun-

nuntiandi. Quid fit ? Diſtinent ægrientem indifferentibus ratiociniis, quæ tædio illum eripiant; vel novorum relationibus, quæ animum ejus à dolorum moleſtiis cum amænitate elongent; vel de rebus morbum concernentibus, quæ ſpem recuperandæ valetudinis ſuſcitent. Eòuſque infelix æger dies iſtos inutiliter tranſcurrit, quorum nè una quidem hora tranſire deberet, qua ſe non compararet per actus chriſtianarũ virtutum pro felici tranſitu ad tribunal DEI. Quid ais ad iſta ? nunquid veritates, quas loquor, certæ ſunt ac evidentes? an non experientia, qua hæc ſingula in aliis didiciſti, confirmat omnia ? & adhuc tibi videtur, quòd tempus mortis ſit opportunum ad ritè componendum tanti momenti negotium ? Ah! chare lector, noli ; Ah! noli tibimetipſi ità illudere. Malum quod mortem ſecumfert, ſemper eſt grave ; hinc accidit, ut ratio diſtrahatur â conſideratione rerum, ſalutem animæ con-
cer-

cernentium, & homo minùs aptus tunc reddatur, ad opus ſalutis debitè pertractandum, ubi enim dolor increſcit, eò ſenſus noſtri reflectunt, eò tota convertitur animæ attentio, docétque experientia, quòd in illis circumſtantiis, omnia hominis ſtudia eò collineent, ut ſe à mortis periculo liberet.

Si unquam graviter decumbentem ſpectâſti; judicaſtíne illum tunc idoneum ad tractandum aliud quodcunque magni momenti negotium? confidiſſéſne illi tunc litem tuam, vel aliam majoris ponderis cauſam? Ah certè non. Te ipſum conſule, cùm te capitis aut dentium dolor excruciat, an te iſtis in circumſtantiis aptũ æſtimas & expeditum, ut fungaris munere majoris momenti? Nihil minùs: redderis ineptus ad omnia, eripitur tibi omnis attentio, quin imò nec alloquentes te lubenter audis. Jam dic, amabò, cùm te ſumma dolorum violentia exagitabit, cùm ſymptomatum

fre-

frequentia, cùm de momento in momentum alterna cum convulſionibus deliquia ſubfrigidum tibi exprimen ſudorem, cùm membrum quodvis ſuo proprio dolore preſſum potentiis etiam internis actus ſuos reddet vel impoſſibiles, vel ſaltèm perdifficiles: quid amabò tunc ages, quo animæ tuæ ſubvenias? præterquam quòd dæmon omnem virium ſuarum nervum tunc intendat: *Sciens quòd modicum tempus habet.* (a) mors interim progreditur, properat, appropinquat & adeſt: per domum vox reſonat: Ah! moritur, moritur. Sed! quantum ad animæ ſtatum: quomodo illi fuerat proviſum? per deproperatam ſanctiſſimorum Nominum: JESUS Maria! invocationem, vix intellectam, & pejus pronuntiatam! per unum: *doleo de peccatis!* in lingua magis, quàm corde natum. Rem totam breviſſimè ſtrinxit os aureum, ità loquens: *cùm venerit ſuper illos mors, feſtinant, anxiantur, vocant Sacerdotes,*

(a) *Apoc. 1. v. 12.*

dotes, pœnitentiam volunt agere: Sed quādo? *cùm jam pœnitentiæ locus non est.* (*a*) Verùm licèt qualitas morbi tunc ægrum obsidentis, non impediret actum fidei, spei, contritionis, resignationis in divinam voluntatem, & amoris DEI, ad quem tunc temporis graviter obligaris: nihilominus si modò te ad eos eliciendos non assuefeceris, in illis circumstantiis eos haud exercebis; Non enim disces intrà diem desperatæ infirmitatis, minùs intrà supremum vitæ momentum, quod totâ vitâ discendum fuerat. Idipsum omninò in lethali morbo experta est persona quædam & nobilitate magna, & paribus fortunis conspicua, cui cùm à Cardinali Bellarmino eam invisente consilii salutaris ergò diceretur: in his circumstantiis nihil magis necessarium esse, quàm veram de peccatis contritionem, respondit illa: *Quid est contritio?* tum zelosissimus Ecclesiæ Princeps, naturam ac metho-

(*a*) *S. Chrysostom.*

dum actûs saluberrimi explicat, sed surdo fabulam canit; respondit enim infelix æger: *non capio quid à me requiras* (*a*) hæc dixit & vivere desiit, non pauca æternæ perditionis signa relinquens. Hæc justa sunt judicia DEI in pœnam negligentiæ per vitæ cursum admissæ, privantis hominem auxiliis gratiæ, necessariis ad salutem animæ, in articulo mortis constitutæ. Discat exin, etiam ille, qui vitam agit moribus innocentem, non parùm solicitus esse de hac præparatione, ut nimirum illos christianarum virtutum actus promptè exercere valeat, adquos fortassis in ultima eáque gravi infirmitate ineptus futurus est.

Quod post hæc cor tuum extimulet ad suscipiendam seriò hanc præparationem, est; certa scientia, quòd tibi non nisì vice unica moriendum sit: *statutum est hominibus semel mori* (*b*) si hìc

(*a*) *Bellarmin. de art. mor. l. 2. c. 6.*
(*b*) *Hebr. 9. v. 27.*

ſi hìc errorem committis, non poteſt (quod bene intellige) non poteſt is unquam reparari, quia de fide eſt, quòd, *ſi ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* (*a*) ſententia in momento mortis lata, eſt irrevocabilis, &, ſi mala eſt, eſt malum non admittens remedium. Dum alicui perſona in publico theatro coram hominum multitudine agenda eſt, tanta ſolicitudine, tantâ diligentiâ, & tam frequenter ſe priùs in privato exercet, ut in unico actu publico cum dexteritate ac commendatione prodeat? ſic fieri videmus à Sacerdote priuſquam ſuas celebret primitias; ſic à milite, dum illi confligendum eſt cum hoſte, non aliter ab oratore, cui perorandum eſt coram ſpectabili auditore, aut à comico, qui comparere debet in nobili theatro. Et nunquid majoris longè momenti eſt mortis opus, quàm ſint hæc omnia, nunquid ma-

(*a*) *Eccl. 11. v. 3.*

joris arduitatis ? Ità ſanè. Sed quod in majorem conſiderationem veniat, eſt: quòd omnes illæ functiones, quantumcunque malum ſortiantur exitum, medium habeant, quo redintegrentur: Mors autem, ſi mala ſit, remedium uon admittat ullum. Obitur vice unica, ſi tunc non ſuccedat non poteſt compenſari, nunquam reſtaurari jactura ſemel facta. Spartani, lentiſſimi erant judices, dum ferenda eſſet ſententia capitalis; cauſam rogati ajebant: *quia non eſt correctio errori.* Quam ſententiam ſpartanô à te animô expendi cupio, imò Chriſtiano: Conſidera diligenter: quòd anima tibi ſit unica, hac ſemel ad infernū delapſa, mortua eſt ſpes omnis ex illo redeundi. *Deſcenſus erit, reditus non erit.* Eccur? quia nec Deus mutabit ſententiam decretoriam: nec tu mutabis animæ tuæ ſtatum & ſortem. O! cur igitur, cur non ad negotium tam neceſſarium, ad negotium omnium maximum juxtà ac periculoſiſſimum te

præ-

præparas moriendo ſæpiùs in mortis utili imaginatione, ut aliquando bene moriaris reapſe? Cum quanta liberalitate non indulges, dies, menſes, annos negotiis tuis, amicis, & promiſcuè aliis: & diem unicum non dabis tibimetipſi? audi ſaluberrimam oratoris aurei paræneſin: *dedimus corpori annum; demus animæ dies* (a) Ah Chriſtiane per ſalutem tuam te obteſtor, nè quod dicam, obiter accipias: ſi mors tua fuerit ſancta; certus es de ſalute æterna: Si mors tua fuerit noxia; reprobatus es pro ſemper! à morte pendet æternitas vitæ vel æternùm beatæ, vel æternùm damnatæ, & à prævia comparatione dependet mors pia & ſancta. Cùm igitur nihil ſit, quod magìs concupiſcas, quàm ſalutem æternam, & quod magìs reformides, quàm damnationem æternam, nulli diligentiæ parcas, neceſſe eſt, qua mortem tuam felicem reddas & ſecuram. *Nulla*

(a) *S. Petr. Chryſol. ſerm. 13.*

enim ſatis magna ſecuritas, ubi periclitatur æternitas. (a)

Præparationis hujus utilitas.

§. IV.

NOn eſt effigies, quæ hominem, quis, qualiſque ſit, fideliùs referat, quàm à ſpeculo exhibita; eſt autem mors vitæ ſpeculum ſynceriſſimum; quod vivendo agis, hoc ipſum mors abſque fuco, & ad omnem amuſſim exhibebit. Unde naſcitur, quòd licèt multæ, quas ad alios fines ſuſcipimus, præparationes, & ſæpe ſint inutiles; ſolicita tamen comparatio ad mortem hoc præ illis ſingulare habeat, quod ſuum ſemper conſequatur effectum. Audiveris non ſemel, cùm de connubio perſonarum magnæ familiæ actum fuit, ut negotium iſtud ad votum concluderetur; boni

(a) *S. Gregor.*

boni ſuperi ! quot non diſcurſus intercesserunt, quot non conſilia, quot non ſe interpoſuerũt mediatores, qui omnem operæ ſuæ nervum eum in finem intenderunt ? Et tamen cùm res antea difficiles jam videbantur complanatæ; priùs adverſæ jam conciliatæ, quando negotium totum jam jam putabatur feliciter concludendum: unicum accidens, ídque minimè proviſum, confudit omnia, disſipavit univerſa, sícque præparationes omnes inutiles redditæ ſunt, & vanæ. Sæpius te fama docuerit, aut experientia, quibus quantíſque angantur ſolicitudinibus, qui pro obtinendo officio, vel dignitate concertant: ô quanto non tempore priùs de illo cogitant! quot, quantáque non media impendunt, per quæ ad optatum finem perveniant! quot, quantáque non implorantur patrocinia! cùm ecce, quando jam tempus adeſt millies deſideratum longæ ſpei ſolamen conſequendi, & dignitatem vo-

tìs zeloſiſſimis ſuſpiratam adipiſcendi; audiunt unum alium ante omnes concurrentes, tenuiſſe bravium, promotionem quæſitam, ab altero jam eſſe præreptam, diſcúntque cum dolore omnes conatus ſuos, ac diſpoſitiones ſuas fuiſſe inutiles. Progredere ſic diſcurrendo de rebus aliis, idémque reperies; quod tamen non evenit in procuratione felicis obitûs. Nunquam fallitur, qui ad mortem ſanctè & beatè obeundam providè, ac ſolerter ſe comparat. Cujus quidem hanc æſtimo eſſe diſparitatis rationem: quòd negotiorum terrenorum exitus non pendeat à voluntate tractantium illa, nec à procurantium ſedulitate: mortis verò felicitas à noſtra pendeat voluntate, à noſtra applicatione conjuncta gratiæ Divinæ, quam, ſi modò ex parte hominis non deſit requiſita diſpoſitio, DEUS nec negat, nec elargiri tardat. Præterea per menſtruum hujus præparationis exercitium conſueſces actibus virtu-

tum

tum Theologicarum ſublimiſſimis, & maximè neceſſariis, qui tibi cedent in pretioſiſſimum augmentum meritorum æternæ gloriæ. Et hoc quidem duobus ex capitibus, tum quia in actibus illis te exercendo cum reflexione ad mortem, quam piè fingis tibi propinquam, certè elicies eos, cum majore attentione mentis, & ferventiore cordis affectu: cùm, quia mortem naturaliter oppetiturus, certò dices omnibus mundi objectis quantumcunque amabilibus: *deſero vos, valete.* Haud dubiè exhibebis te totum quantum in divinam voluntatem reſignatum. quis autem modò certum te reddit, quòd illo in articulo ex propenſione voluntatis hæc ſis acturus? éſne ſecurus, quòd tunc illud *vale* ſis prolaturus ex motivo Chriſtianæ pietatis, & non potiùs ex dura lege naturalis neceſſitatis? Pace tua dico: anticipata pro morte præparatio ſecurum te præſtat felicis hujus à rebus mundi ſeparationis, illa te

certum reddit voluntariæ hujus abdicationis; siquidẽ in præsenti deduceris ad cognitionem & contemptum vanitatis mundanæ, non quia mors tibi fallacias ejus detegit, sed quia fides te insidiis illius eximit. Renuntias modò universis terræ bonis, sed devotio hanc abdicationem subscribit & consignat, non necessitas. Quamobrem nunc hos actus elicis cum majore DEI beneplacito, adeò ut per eos non solùm tibi comparaturus sis ingentem meritorum thesaurum, sed insuper singularem gratiam pro articulo mortis sis obtenturus. Non deseret te DEUS in illa suprema hora, quia tu temetipsum non deseruisti in vita: quidquid in salutare hoc studium impenderis, compensabit tibi in illo momento omnipotenti protectionis suæ tutela assistendo. Revelavit DEUS sanctæ Gertrudi, quòd iis, qui per vitæ cursum se applicuerint cum speciali cura ad spiritum suum pio aliquo exercitio, in

præ-

præparationem pro felici morte directo, excolendum, ostensurus sit sub finem vitæ, quàm copiosus sit fructus huic labori correspondens, quod ipsum experta fuit sancta hæc Virgo, dum moriens animam suam tradidit in manus JESU & Mariæ, qui eam in comitiva Angelorum & sanctorum ad cælum deduxerunt (a) Post actus istos in vita frequenter elicitos, acquires habitum, & miram quandam facilitatem, ex qua tempore mortis novum in animam tuam redundet beneficium; tunc nimirum illi ipsi actus promptissimè in mentem redibunt, & dum illos tibi ab assistente sacerdote suggeri audies, videbuntur esse dialectus minimè peregrina, sed intellectu facillima, nec labor erit eos elicere, ac verbis præeuntem, paribus virtutum actibus sequi.

Neque istam solùm, aliam prætera exinde hauries magni momenti utili-

(a) *Diligender tom. 2, Conc. 1. Hebd. S. fer. 2.*

utilitatem : ſiquidem ex memoriâ mortis fides excitare ſolet multa magnáq; lumina, ad quæ cognoſcantur veritates æternæ; nunc tempus acceptabile, & commoditas abunde opportuna, ut tibi profis, proficiáſque ex illis, vitam tuam ſeriò emendando, quemadmodum feciſſe legitur Sanctus Imperator Henricus, qui præparationis hujus beneficiô factus eſt Sanctus, & inter non minima vitiorum illectamenta nunquam virtutem, quæ in corde ejus pedem firmiſſimum ſemel defixerat, à prima ſtatione paſſus eſt dimoveri, ſemper & omne actionum ſuarum conſilium à morte accipiendo: hæc ipſa lumina parùm tibi, aut nihil proderunt, dum ſtabis ad limen ſepulchri, non erit tunc ampliùs tempus ex illis proficiendi; quin imò ſicut mortem tuam in oculis DEI redditura fuiſſent pretioſam, ſi opportunè ſecutus fuiſſes eorum ductum, conformiter illis vivendo; ità econtra, ſi illa aversô men-

mentis oculô contempſiſti, dum mors inſtabit, hæc reddet illa in animæ tuæ oculis terribilia. Tandem indubium eſt alterutram te manere mortem, vel ſubitaneam, vel lentam: Multi ſubita morte obruti aut à morbo graviſſimo comprehenſi, nec tempus habent, nec capacitatem eos actus eliciendi & exercendi, qui elici & exerceri deberent in morte. Si autem te nunc applicaveris ad hujus præparationis uſum, o! quàm felix erit ſtatus tuus, ſi contigerit te improvisò mori! quod enim tunc facere non poteris, jam nunc feciſti, jam prævidiſti & providiſti, & ideo, ùt ùt mori videaris improvisò, minimè improvisò moreris; nemo enim ab hoſte, quem continuò prævidet ac exſpectat, obruitur. Quòd ſi autem DEUS ex hoc mundo ad alterum te lenta morte avocaverit, ictus iſte reddetur tibi minùs ſenſibilis, nam malum quod ſolicitè prævidiſti, pene viciſti: *mors ipſa, cùm venerit, vincitur,*

tur, inquit ſanctus Pontifex Gregorius, *ſi, priuſquam veniat, ſemper timeatur* (*a*) tunc illos omnes actus quos talibus in circumſtantiis exigit obligatio legis Evangelicæ, elicies cum magna tranquillitate ac facilitate, expertúſque dices: laborem non eſſe, aut arduitatem in exercitio artis, in qua diu multúmque verſatus fuiſti. Igitur perſuadeas tibi, quòd nullum tempus à te impenſum ſit meliùs, atque illud, quod præparationi ad mortem conſecrâſti, hæc namque præparatio eſt maximum officium, quòd geras in tuammet utilitatem. In cauſa tanti momenti expectare opem alterius, eſt magnæ levitatis; ſi ergo teipſum amas, nunc de opportunis ſubſidiis tibi provide, tanquam de mediis utiliſſimis, & unicè neceſſariis.

Jucun-

(*a*) *In Hom. ſint lumbi.*

Jucunditas hujus Præparationis.

§. V.

QUemadmodum ægrotus, irrequietè indagat molliorem & commodiorem lecti partem, in qua conquiescat; sic natura humana, nimiùm quàm infirma, inquirit solicitè quod delectat, & fugit omne illud quod molestat. Unde mihi subnascitur metus, nè non aliqui hanc ad mortem præparationem reformident persuasi, quòd tam frequenter cogitare de morte, sit animam conjicere in quasdam melancholiæ spinas eam continuò exulceraturas: sed errant. Est melancholia, non diffiteor, displicentia quædam in inferiore hominis parte, nata ex intuitu, & consideratione eorum objectorum, quæ illi non sunt grata; quid autem magìs ingratum est, quàm mors? Nihilominus metu isto te liberum esse

esse jubeo; memoria mortis non tantùm melancholiam tibi non adferet, sed etiam cor tuum verô gaudiô, & pace solida replebit. Est mortalitatis nostræ Contemplatio apicularum instar, quæ nascuntur quidem ex putri, fiunt tamen artifices laboris dulcissimi, qui mel est.

Nulla res adeò nobis dolorosa accidit, etiam si naturalia spectes, quin simul aliquid delectationis adferat, cùm semper vel exercitium virtutis in se includat, vel occasio nobis sit magni alicujus boni, vel medicina ingentis mali. Sic solemus gaudere in ipso dolore, dum audimus vel spectamus tragædiam: *est quædam flere voluptas.* Nam compatiendo virtuti, quam in calamitosa persona premi dolemus, virtutis experimentum in nobismet capimus: gaudet in periculis miles, & in arduis lætatur, quòd campum nactus sit, fortitudinem, quæ propria heroum virtus est, exercendi: exultat inter sudores suos agricola,

la, queis sibi spem optatæ messis rigat; quin & sitis accensæ ardor jucundus evadit, dum illi aquarum refrigeriô sucurritur. Si ergo recensiti jucunditatis fontes seorsim accepti tanta dulcedine nostras aspergunt adversitates, quantum non voluptatis torrentem à se hilariter dimanabunt in capacissimum præparationis hujus sinum, in qua apertis ostiis junguntur omnes, ut dulcedine sua se se in cor diffundant, quod mortem semper habet in prospectu.

Quantum ad exercitium virtutum; comperies, hìc exerceri sublimissimas quasque, nobilissimas, maximéque heroicas; utì sunt fides, spes, charitas erga DEUM, contritio de peccatis, resignatio in divinam voluntatem, præter alias, quæ uberrimis augmentis nutrientur & crescent ex terrenarum miseriarum agnitione, & contemplatione æternæ felicitatis. Quando salvator noster observavit, discipulos suos factos fuisse

tristes,

triſtes,mox, ut eos conſolaretur, concepti mæroris cauſam dedit ſimul & remedium : *quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia implevit cor veſtrum.* (*a*) En triſtitiæ cauſam : diſceſſus, & mors Chriſti. *Nemo ex vobis interrogat me, quò vadis?* en remedium. In duobus his verbis : *quò vadis* incluſum erat remedium, nulli melancholiæ ſubjacendi: *quò vadis?* corpore ad ſepulchrum, anima ad cælum. Tam procul abeſt triſtitiæ cauſâ à mortis memoria, ut hæc potiùs evadat efficaciſſimum mœroris levamen, dum homo ex ſepulchri intuitu, omni illo evadit altior, quod in hac lachrymarum valle cæteros poteſt efficere mæſtos. Omnis melancholia, quæ nos conſumit, potiſſimùm naſcitur, & nutritur per paſſionum noſtrarum inordinationem. Unus triſtatur, quòd non poſſideat, quantum deſiderat : alter affligitur, quòd non honoretur quantùm mereri ſibi videtur; quod non ſucceſ-

(*a*) *Joan. 16. v. 6.*

ſucceſſerit hæc intentio, quòd non potiatur concupitô officiô : iſte maceratur invidiâ alienorum progreſſuum : Ille jam timore obrigeſcit, nê amittat quod poſſidet, jam dolore contabeſcit, quòd amiſſa non recuperet. Hoc ſuppoſito, ſicut præparatio ad mortem clariſſima in luce ob oculos ponit rerum humanarum, etiam in mundi oculis ſummarum, inconſtantiam & vanitatem; ità pariter prodigioſam habet efficaciam omnes affectus noſtros frænandi, conſequenter & procul removendi horrida illa phantaſmata, quæ fumi ſui atrore depingere ſolet melancholia.

Exinde vides alterum jucunditatis motivum, quòd ſcilicet hæc præparatio ſit cauſa ingentis boni. Continetúrne bonum æquale huic intrà naturæ confinia, per quod reddamur ſecuri de poſſeſſione certæ cauſæ ac juris ad hæreditatem æternam? frequens excitatio memoriæ beati illius termini, adquem itur, magnum eſt affli-

ctionum omnium levamen. Hic sæpius à te exquiris: *quo vadis?* ad Paradisum. O quantum in viæ vitæque molestiis solatium! solatium eò constantius, & invariabilius, quò evidentiùs nobis exhibet non solùm imminere possessionem summi boni, sed de hac ipsa possessione nos assecurat, obligando nos ad invigilandum continuò actionibus & moribus nostris: *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* (a) dixit salvator noster. Si igitur mors te invenerit vigilantem, qualem ut te inveniat hæc præparatio efficit, coram DEO es in numero Electorum: *beati servi illi.* Quantum non est hoc solatium! Insuper hæc præparatio est medicina & remedium contra ingens malum, præservat enim à duplici plaga, quarum una est timor temporalis mortis; altera timor mortis æternæ. Objectum, quod nostro in capite aterrimas melancholiæ nubes suscitat, est mali

(a) *Luc. 12. v. 37.*

mali cujuſpiam metus: quantò majus eſt impendens malum, tantò magìs timetur, & quantò major eſt imaginata moles timoris, qui enaſcitur, tantò major eſt melancholiæ umbra, quæ illum ceu corpus ſuum comitatur. Scis autem mortem inter omnia mala naturalis ordinis, eſſe malum maximum & hac eadem ex cauſa Philoſophi judiciô: *Terribilium omnium terribiliſſimum eſt* (a) ſi quis igitur, à dorſo ſuo removerit pondus timoris hujus, præſtabit ſe liberum à potentiſſima melancholia, & gaudebit ſtabili quiete, ſuaviſſimáque animi jucunditate. Quid ais ad iſta, nunquid evidentia ſunt quæ dixi? nemo certè negaverit eſſe veriſſima. Quod ſi ità eſt, ſcias velim id totum obtineri per hanc præparationem; quot menſibus enim illam practicando, aſſveſies contemplationi mortis, quæ ſæpius viſa & conſiderata terribilis eſſe deſinet. Bombyces naturâ ſunt adeò timi-

(a) *Ariſt. l. 3. Ethic.*

timidâ, ut auditô vehementiore tonô, præ terrore crepent, quod ſciens, qui illos nutrire ac educare cupit, ſolet ſubinde ſonum edere, majorem ſemper ac majorem, ut pedetentim generoſa reddantur, meticuloſa cæteroquin animalcula, nè fragorem ſonantiorem caſu auditura vitam amittant. Pari ferè methodo timorem eventuum difficilium à nobis propulſurus ſeneca ſuadet: *ſi vis omnem ſolicitudinem exuere, quidquid vereris, nè veniat, eventurum utique propone.* (*a*) Præterea inclinas hoc modo animum tuum gradatim ad omnem affectum à divitiis, deliciis, conſangineis, Amicis & vita ipſa retrahendum: Nam hæc ferè ſunt objecta, à quibus mors cum ſenſibiliſſima difficultate hominem avellere ſolet. Sicut arbor, quæ radices ſuas profundè non defixit in terra, facilè, & procul omni labore evellitur; ità cor, quod à terrenis bonis liberum vivit, facilè & ſinè dolo-

(*a*) *Sen. Epiſt.* 24.

dolorè ſupremum ictum excipit. Liberat hæc præparatio etiam à periculo alterius plagæ; ſiquidem id, quod mortem reddit terribilem, non eſt memoria mortis, ſed econtra mortis oblivio, & ejus oblivionem ſecuta præparationis omiſſio, & omiſſionem hanc concomitans damnationis æternæ manifeſtum periculum. Præparatio hæc præbet tibi exercitium frequens deteſtandi peccata vitæ præteritæ, & de illis dolendi. Cujuſmodi dolor adfert gaudium adeò intenſum, ut neſciverit S. Auguſtinus reperire imaginem magìs expreſſivam ad repræſentandum, aigumentum magìs convincens ad deducendum, quale ſit gaudium Cæleſte; quandoquidem ad exhilarandam contritionem unitis viribus concurrunt tam vivaciſſima cognitio ſummi boni, de quo ſecuri reddimur, & ſummi mali, quod à nobis recedit; quàm dulciſſimum condimentum ſupernaturalis ſpei: ſicut in muſica ſuſpiria & notæ

pate-

pateticæ constituunt principem harmoniæ gratiam: ità in pœnitentia jucundissimus affectuum concentus resultat, ex gaudio lacrymarum ac gemituum: hinc sanctus Chrisostomus cor peccatoris exhilaraturus, invitat illum ad deplorandas vitæ noxas: *Tristemur fratres tristitiâ gaudii genitrice.* (*a*)

Observabis exinde, quòd præparatio, de qua agimus non tantùm tibi adferat moralem securitatem de remissione peccatorum vitæ præteritæ: cum illa namque frequenter detestaberis culpas tuas ex perfectissimis quibusque motivis; sed quòd insuper te elonget in futurum à servitute peccati. O! quàm fortem te reddet contra omnes tentationum insultus, ut non possit non verificari in te Oraculum Spiritus Sancti: *memorare novissima tua, & in æternum non peccabis* (*b*) Quis nescit, tristitiam non esse naturæ

(*a*) *S. Chrisost. ad Antioch. hom.* 62.
(*b*) *Eccli.* 7. *v.* 40.

ræ ſed culpæ filiam? Ex primo enim noſtrorum Progenitorum peccato natum eſt hoc monſtrũ, & quemadmodum omnes & ſinguli filii Adam ſumus, ità omnes & ſinguli hæreditamus hoc patrimonium, tantóq; magìs illud augemus, quantò magìs peccamus: dum igitur per hanc, quã trado, ſeſe comparandi methodum, tibi proviſum eſt de armis contra peccata, ſimul tibi proſpectũ eſt de ſcuto contra triſtitiã: poſtquã cõſcientia tua nullo remorſu turbatur, tum quia jam ſatisfeciſti pro culpis præteritis: cùm quia ſolerter præcaves, nè deinceps prioribus nova debita jungas. Eſto certus, quòd non ſit major jucunditas, quàm quæ reſultat ex teſtimonio bonæ conſcientiæ, quod ſapiens innuiſſe videtur, cùm dixit in proverbiis: *ſecura mens quaſi juge convivium* (*a*) cujus diurna gaudia hilaris veſper excipit, ut nocte qualibet quietô & tranquillô animô concedatur cubitum, dici-

(*a*) *Prov. 15. v. 15.*

que poſſit cum Davide: *in pace in idipſum dormiam, & requieſcam: quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me* (a) Qui non vivit ità comparatus animô, ut quotidie promptus ſit ad excipiendam mortem, quamvis domum incolat inſtructam adinſtar paradiſi, quamvis ſe interſerat hilaribus amicorum conviviis, jucundetur inter Domicellarum amabiles blanditias, inter recreationes, venationes, & quæ neſcio hilaria; non poteſt verâ gaudere lætitiâ: cur iſtud? quia nimirum ad vocem concionantis, ad aſpectum mortui hominis, ad unicam inſpirationem DEI cor alloquentis, excitantur conſcientiæ remorſus, & terrores mortis inexpectatæ paveſcentem inquietant: ſicut horologium foris quidem oſtendit aureum indicem, intrà ſe tamen ferreas rotas continet. Peccatorum labia ad ſpeciem hilariter ſubridentia ſunt fulgetra tempeſtatis internè

(a) *Pſal. 4. v. 9. 10.*

ternè latentis : res quævis eos terret, dum timent mori improvisò, sinè Confessione, sinè testamento. Circumferunt intrà se laqueum, quo stringuntur; & carnificem, à quo torquentur. Certus igitur esto, quòd *mortem venientem nemo hilaris excipit, nisì qui se ad illam diu composuerit.* (*a*)

Si quando ex vitæ licentiosæ sordibus surgendo, per synceram confessionem reversus es ad Paternum DEI tui sinum; dic, rogo, candidè, nunquid videbaris tibi à grandi onere sublevatus fuisse? exivisse ex periculoso labyrintho? nunquid expertus fuisti cor tuum plenum fuisse consolatione? O! dicebas, laus Deo! *laqueus contritus est, & nos liberati sumus* (*b*) quantò igitur major erit pax & consolatio, postquam ope hujus præparationis perfectè composueris rationes tuas cum DEO? tunc Cælum tibi videbitur Serenius, aura be-

 nigni-

(*a*) *Seneca tom.* 2. *Epist.* 30. (*b*) *Psal.* 123. *v.* 7.

nignior,nox quietior,& vita dulcior.
Quis Jubilus! quàm pulchrum solatium, audire tonitrua, & fulmina sinè cordis palpitatione: audire aliorum mortem absque pallore vultûs. Est mortis hora omnibus abscondita, sed non omnibus improvisa: Qui semper ad excipiendam mortem paratus est, & promptus, nunquam moritur insperatè quodcunque mortis genus illi accidat. Mori in gratia DEI, & inter actus amoris DEI, est sola bona mors, quomodocunque mori contingat, si modò sis in statu gratiæ, non est, quod timeas. Quod, quàm verum sit, historia comprobet. Sacerdos quidam Hispanus desiderabat frui sacrô spiritualiũ exercitiorum otiô, quo grande negotium animæ suæ quietiùs componeret per exactam confessionem generalem, sed solitô mundanarum occupationum dolô captus de die in diem differebat operis saluberrimi executionem, donec deceptionem advertens sibi

constituisset tempus determinatum, cum firma resolutione, quodcunque impedimentũ occurreret, se nequaquam admissurum, ut moram injiciat salutari proposito. Præstituto tempore jam præsente, Sæviliâ litteras obtinet ab amicis suis datas, qui conjunctim motivis efficacibus persuadebant, ejus plurimùm interesse, ut quantocyus iter ad illam urbem susciperet. His acceptis mox confessarium suum invisit, obortíque impedimenti causam eidem exponit, data fide, quòd post reditum absque dubio piis desideriis suis sit satisfacturus. Ah! Domine, reponit Confessarius, post reditum accurabis statum animæ tuæ? quidsi morereris in via? an nescis te esse mortalem? Penetravit inexpectata hæc confessarii responsio cor sacerdotis, atque effecit, ut, cùm tempus non faveret spatium, quod sibi exposcunt Exercitia spiritualia, hanc diei unius susciperet recollectionem: in hac pro-

vidit

vidit animæ ſuæ, quod ſpiritualia concernit, per ſynceram Confeſſionem generalem; & quod temporalia attinet, per teſtamentum, & ſic terminata hac præparatione, commiſit ſe itineri. Obſerva hic admirabilem divinæ providentiæ tractum. Sub medium itineris per infirmitatem improvisò ſubortam conjicitur in lectum, & periculoſis ſymptomatis, indiès ampliùs, & ampliùs proficientibus, delabitur ad extrema vitæ mortiſque confinia. Ad hæc deductus, quas putas, animô cogitationes conceperit? accipe illas à propria ejus lingua, quæ in tam arcta mortis vicinia, certò certiùs, nec ſibi adulari voluerit, nec alii illudere. O felicem, inquit, felicem illum recollectionis diem, quem elegi, ut vitam meam ordinarem, ut teſtamentum conficerem, ut morti meæ providerem! o! quantùm me dies hic adjuvit. O! quantùm me dies hic ſolatur. Edico palàm & confiteor, magno

gno

gno mihi futurum fuiſſe dolori, quòd hoc in pagello, hac in caſa tam procul à domo propria diſtans moriar, nisì animo ſubveniret præparatio, quam feci in nupera ſpirituali recollectione, cujus intuitu promptiſſimus ſum ad excedendum de hoc mundo cum tranquilla conſcientiæ pace, ubi ubi DEO placuerit, etiam in medio camporum. Cum hac reſignatione, quiete, & tranquillitate, proviſus ſacramentis morientium, inter actus Theologicos ad communem omnium adſtantium ædificationem animam DEO reddidit. Ex hujus exempli enarratione, animadvertis, nî fallor, quanta cum efficacia ad animæ quietem concurrat hic ſacer dies recollectionis.

Verum eſt, quòd amaror mortis dulcoratus ſit per mortem noſtri Redemptoris; ſed nemo de virtute hac dulcificante ſibi ſubventura ſecurior eſt, quàm qui opportunè ſeſe comparat ad mortem. Quod ut probem,

audi Sanctum Bernardum mirè in in rem nostram perorantem: *iis siquidem maximè prodest Christi mors, & passio, qui mortem propriam prævenientes, & prævidentes, ad illam se virtutum Christi imitatione disponunt; unde & lætissimus eos exitus manet, & transitus perjucundus; cùm nemo, teste Vegetio, id facere timeat, quod se novit bene didicisse.* Nota bene ultima hæc verba, solvunt enim difficultatem, quam amor proprius objicere posset, nimirum, quòd menstrua exercitii hujus repetitio tædiô te affectura sit, & nauseam allatura: Ah non, non, inquit mellifluus Sanctus, quin imò fructificabit novum lætitiæ argumentum, siquidem ùt vidisti, quò frequentiùs hanc praxin renovaturus es, eò dexterior fies, aptiórque ad mortem excipiendam, & quò ad id fueris aptior & dexterior, eò postea tibi facilius, suavius & jucundius futurum est illius exercitium, quando mors reapse ad illud te obligabit. *Cùm nemo id facere time-*

timeat quod se novit bene didicisse. Hujus exercitii frequentia animabit spem tuam obtinendi felicem in morte exitum, & bene vides, quòd spes ista germinatura sit indies novam cordis hilaritatem.

Meditatio de Morte.

§. VI.

PUNCTUM I.

Quid moribundum affligat.

I. CONsidera præcipuum, quod morientem fastidiô replere solet, esse tres affectus, qui tunc evigilant, ut affligant: primus est melancholia, cujus acrimoniam, ut concipias, imaginare tibi, quòd jaceas in lecto gravissima infirmitate oppressus: quòd intret confessarius, ac tibi insinuet, mortem esse vicinam: *dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives* (*a*) O! quàm terribile hoc fulmen accidit naturæ! quantumcunque

(*a*) *Isaj. 38. v. 1.*

cunque Sacerdos amarum calicem à se porrectum spe vitæ dulcorare studeat; hoc tamen non obstante omnem sentis amaritudinem, quia intelligis optimè, quòd malum tibi incumbens sit desperatum, & omne, quod in favorem vitæ dicitur, non quòd spei quid subsit, dici; sed ut minùs sensibilis accidat fatalis Libitinæ ictus.

Vides in ictu oculi, quòd pro te sit finis mundi, finis voluptatum, finis divitiarum, finis honorum. O quantus dolor! videre se spoliatum omnibus illis bonis, quæ tantopere amavit. Examina propensiones tuas, quomodo his ipsis terræ sis affixus? quomodo, quantúmque affectus sis creaturis istis? Ah! *non relinquitur sinè dolore, quod cum delectatione retinetur.* (a) Dum S. Augustinus secummet ipso in conversione sua luctaretur, objiciebant se phantasiæ ipsius

(a) *S. August. lib. 1. de serm. Dom. in monte.*

ipſius omnes voluptates priùs deguſtatæ, quaſi ad cor loquerentur dicentes: dimittiſne nos? Auguſtine! *non erimus ultra tecum in æternum?* nullum unquam convivium? nulla dein ampliùs voluptas? nulla ampliùs converſatio? morieriſne mundo ex integro? Sentiebat cor ſuum inquietari, nec facilè poterat ſe reſolvere. Nihilominus relinquebat omnia per electionem, quæ, voluntaria cùm ſit, ſucceſſum habet ſuaviſſimum; deſerebat illa cum merito, quod ardua ſolet reddere facilia.

Idipſum tibi moribundo repetent, ſed voce ſonantiore ac funeſtiore, omnia bona temporalia, quæ poſſediſti: *non erimus, non erimus tecum ultra in æternum*: & quidem eò majore cum dolore, quò magìs neceſſitas hæc eſt inevitabilis ac vel ideo meritum minùs pretioſum. Quot, quantiſque induſtriis non es fatigatus, ut acquireres tenuem honoris radium, evanidam auram humani applausûs!

Ecce tunc totum evaneſcet ùt umbra: ubi in tumbam concluſus fueris, poſt paulùm non loquentur ampliùs, imò nè quidē cogitabunt de te homines, ex ipſa eorū memoria paulatim deleberis. Amici, cognati, ex quorum reſpectu, ut illis placeres, DEUM offendiſti, vel ſaltèm DEO ſervire omiſiſti, Te omnes & ſinguli deſerent. Ut unda undam pellit, & fluctus fluctum, ſic novum objectum ex eorum memoria fugabit antiquum, quiſque illorum redit ad ſua negotia, & ſtudet, ceu rem melancholicam, ex phantaſia excludere mortuorum recordationem. O vanitas humanarum diſpoſitionum! O labores malè impenſi!

II. Conſidera, quòd te in morte ſummô tædiô affecturi ſint dolores corporis, quos geminabit afflictio animi. Eſne tu illorum è numero, qui vitam tranſigunt in deliciis & voluptatibus? qui carnem ſuam inſtar idoli habentes unicè in id intenti

ſunt,

ſunt, nè quidquam appetitui ſuo denegent, & toto ſtudio feruntur ad procurandas ſibi commoditates & blanditias quaſvis? Eſne ex illis, qui nullam ſibimetipſis unquam inferunt violentiam, & nulla unquam utuntur mortificatione? quid reſpondet conſcientia tua? ſi de ſyllabo iſtorum es, dic amabò, cùm te videris morbo lethali obrutum, & ad extrema deductum jam non habere plus vitæ, quàm ſufficiat ad ſentiendas omnes puncturas mali, quod te intùs diſcruciat: cùm arſeris febrili æſtu, qui te conſumet; cùm exagitaberis doloribus, amaritudinibus, nauſeis, vigiliis & convulſionibus: quomodo tunc ſub tantorum diſguſtuum pondere temetipſum eriges? An non tunc tibi videberis, aliiſque fateberis experiri te amariſſima quæquæ, imò omnia, quæ mors infligere valet, tormenta? nihil tamen intentatum manebit, quo valetudinem recipias, porrigentur tibi medicinæ

 ama-

amarissimæ, ferrum fortassis & ignē admovebunt, ut scindendo, dilacerando, urendo prosint; sed malum omni humana ope majus reperientes, in nullo alio proficient quàm in eo, quòd tibi augeant impatiētias, inquietudines, agitationes, & querelas, de momento in momentum mutabis colorem, vigorem, & vires. Elanguesces, nauseabis omnia, & spiritibus vitalibus ex integro te linquentibus omni robore destitueris, videbis quidem coram te jam hunc, jam illum transire domesticum, amicum, aut notum, quin tamen illis explicare valeas tuas necessitates. Inclamabunt tibi Sacerdotes, & Religiosi, ut dolores tuos motivis spiritualibus condiant; sed cum quo fructu; si verba illorum tibi lingua videantur peregrina, si illa non intelligas: vel saltèm tibi accidant ingrata? conabuntur tibi inspirare affectus resignationis in divinam voluntatem, & doloris de tuis peccatis; sed bene

scis,

ſcis, quòd non diſcamus tam ſubitò reprimere naturæ incorrectæ rebellionem, præcipuè ſi hæc per inolitam conſuetudinem perperam in nos obtinuit abſolutum imperium. Orabunt ipſi, & commendabunt te precibus aliorum devotiorum, ut DEUS optimus ſuæ gratiæ viribus languores tuos corroboret: Sed Spiritus Sanctus tam prodigè non diſpertiet pretioſa donorum ſuorum munera, quibus ut beeris, oportet aliter ſis diſpoſitus. Quid itaque tunc facies? tibimetipſi relictus patieris, & patieris murmurando inter lamenta contra DEUM, contra homines, qui tibi ſerviunt, contra amicos, qui te ſtudent conſolari, & adeò profundè in dolorem ac melancholiam immergeris, ut non ſis recordaturus quàm modicum temporis ſuperſit, quo ad animæ ſalutem utaris, nec tibi in mentem venturum ſit, quàm neceſſarius labor conſcientiam debitè componendi tunc tibi incumbat. III. Con-

III. Conſidera, quòd illo in articulo ingens faſtidium tibi ingeneraturus ſit timor, quem duæ res præprimis incutiunt, dum hominem in morte exterrent: peccata, quæ morientem ſequuntur, & DEI Tribunal, quod eum expectat. *Hæc eſt ſumma infelicitas, quæ comparavit bona, hìc dimittit, ſed ſecum peccata portat.* (*a*) Cur DEUS ex nihilo tui, in hanc entium ſeriem te vocavit? Cur introductus es in hunc mundum? ut per puſillum vitæ mortalis ſpatium, æternitatem gloriæ conſequereris. Nunquid hic eſt finis tuus, nunquid hic eſt finis proprius cujuſvis hominis? ità eſt: quàm itaque tibi durum accidet, tunc agnoſcere, quòd per vitæ curſum longè aliò reſpexeris. Quantum te affliget memoria omnis boni, quod facere omiſiſti, & facere potuiſti! quot annos vitæ numeras? viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta &c. ſi in primo rationis

dilu-

(*a*) *Auguſt. homil. 42. ex 50.*

diluculo, vel ſaltèm quando per divinas inſpirationes primùm te invitari ſenſiſti, cæpiſſes Chriſtianarum virtutum exercitium; ad quantum Sanctitatis gradum non aſcendiſſes? quantum meritorum cumulum non acquiſiviſſes? quot non tuæ ætatis, quot non te juniores facti ſunt Sancti? Beatus Stanislaus Koſtka annis octodecim nondum completis. Beatus Aloyſius Conzaga annorum viginti trium. S. Roſa Viterbienſis annorum ſeptemdecim & decem menſium. Sanctus Cazimirus viginti quinque annorum. Et tu tot annos à DEO nactus, ut eos virtutibus conſecrares, quomodo eos expendiſti? tranſivit totum hoc tempus, nunquam rediturum: meritum illius perditum eſt, nunquam deinceps recuperandum. O quantum te affliget memoria tot talentorum malè impenſorum: Capacitatis, ſanitatis, ingenii, opum, tibi liberaliter à DEO conceſſarum, ut iiſdem Cælum tibi lucra-

lucrareris. *Negotiamini, dum venio.* (*a*) Qui ad nundinas ſe contulit, cum magna paratæ pecuniæ ſumma, & eam non ùt debebat mercibus comparandis impendit, ſed luſu perdidit: quanto pænitudinis dolore affligitur in fine nundinarum! Chriſtus qui ſe ideam & exemplar noſtrarum actionum propoſuit, morti vicinus ad Patrem æternum dixit: *conſummatum eſt.* (*b*) Si dies hodierna foret tibi ultima, inveniréſne in te Chriſtianam perfectionem conſummatam, quam DEUS à te deſideravit? correſpondiſtíne gratiæ vocationis tuæ? obligationibus tui ſtatûs? tot bonis exemplis? tot divinis Illuſtrationibus? tot Sanctis inſpirationibus? poſſéſne dicere cum veritate; DEUS meus, adimplevi omnem gratiæ tuæ circa me diſpoſitionem? Ah minimè! minimè. O quanto igitur dolore opprimeris?

Sed

(*a*) *Luc.* 19, *v.* 13. (*b*) *Joann.* 19. *v.* 30.

Sed is ipſe multò plus increſcet, ex agnitione malorum admiſſorum, videbis omnes ætatis tenerioris levitates, adultioris diſſolutiones, videbis Sanctiſſima Sacramenta vel irreverenter à te fuiſſe ſuſcepta, vel tepidè frequentata, cum exiguo devotionis ſenſu, & ſinè fructu. Videbis mala conſilia, pejora exempla quæ vel dediſti vel ſecutus es. Videbis debitas honoris alieni, & rerum aliarum iniquè ablatarum reſtitutiones, vel ſinè cauſâ dilatas fuiſſe, vel ſinè neceſſitate omiſſas. Videbis tot murmurationes, tot intemperantias, tuum faſtum, vanitatem tuam, & tuam ſuperbiam. O quàm melancholica erit hæc viſio! quàm horum memoria formidabilis! ſi per totum annorum tuorum decurſum commiſiſti unicum peccatum mortale, erit hoc ipſum tibi mæſtiſſimum terroris objectum: neſcis enim, utrùm tibi remiſſum ſit, necne? ſi verò multa numerô admiſiſti, ſi enormia vel ex gene-

genere ſuo, vel ex obligatione tui ſtatûs, & gradûs, quantò tibi magìs timendum eſt? Verum eſt, quòd uſque ad ultimum vitæ ſuſpirium ſit pœnitentiæ locus, per quam peccata aboleas: ſed pœnitentia tunc agitur difficiliùs; quis enim tibi promittit, quòd ſis futurus aptus & diſpoſitus ad eliciendum verum dolorem, & affectum voluntatis, qui te ad hunc inclinet? Mors ordinariè hominem obruit, appropinquat clàm, & advenit, quando de illa minimè cogitatur.

Exterrebit te apprehenſio judicii divini, quod imminet; ídque adeò exactum, ut omninò nihil effugiturum ſit Scientiam Judicis; adeò ſeverum, ut nihil manſurũ ſit impunitum à vindicativa juſtitia ejus: adeò fixum & firmum, ut ſententia làta, ſit futura tam irrevocabilis, quàm DEUS eſt immutabilis; Judicium, cujus conſequentiæ ſunt æternæ, in quo agitur de ſummo bono, vel ſum-

ſummo malo, nullum unquam finem habituro. O! ſi tunc revocare liceret primos vitæ exactæ annos! ô ſi poſſes renaſci ſuper terram! ô ſi poſſes redordiri vitæ præteritæ curſum! quid non faceres?

PUNCTUM II.

Quid moribundum conſoletur.

I. Conſidera, quòd vero Chriſtiano, triſte non accidat in morte relinquere opes, quas poſſederat in vita. Quia licèt in effectu pauper non ſit, didicit tamen pauper eſſe corde & affectu: quantum non erit moribundo ſolatium, reflectere ſe, quomodo figuram mundi hujus non ſemel viderit grata ſpecie ſibi blandientem, quin oculos ſuos admitteret blanditiis ejus illaqueari; quòd cognoverit omnia pericula, omnia illicia; omnes vanitates, omnem malignitatem mundi, vaferrimi animarum proditoris; nec tamen aurem

rem præbuerit fallacibus incantationibus ejus. Certum te esse jubeo, quòd nullam difficultatem senties, quando videbis Ecclypsari falsum splendorem honornm, gloriæ & felicitatis humanæ, quia jam ante ad fundum eorum pertigisti, & quàm vanè illudant, explorâsti. Nullus dolor erit, quando omnia, quæ mundus dedit, bona è manibus tuis fugient, quia sic illa possidebas, quasi nunquam possideres. Nec triste accidet, quando fragile hoc & mortale corpus legi naturæ succumbere incipiet, quia non fuisti adorator ejus illi adulando; sed inimicus, continuò illud mortificando. Non, non, non senties dolorem, imò gaudebis dicendo: desero hæc bona, quæ dudum propter DEM contempsi.

II. Considera, quòd homo ùt ùt probæ vitæ, in morte tamen non sit futurus à doloribus exemptus, sed bene quòd dolores ipsi minùs sensibiles futuri sint, quia ipse minùs eos sentiet.

tiet. Omnis labor, qui corpus gravat, fit etiam dolor animi, ſed quando hic per vitam in adverſitatibus ſuis & doloribus conſuevit ſe regere dictaminibus Evangelicis, eôdem ſubſidiô ſe facilè ſolatur in morte. Sicut igitur patiente corpore, animus id ipſum ſentit, ſic viciſſim corporis ſenſibus conſolationem illam communicat, qua cælitùs perfunditur, in voluntatem divinam ſe penitus reſignando. Dum vel unica divinæ unctionis gutta ad cor hominis ſubintrat, quantùm non illud redanimat! ſcis, nî fallor, quanta tormenta Tyrannorum barbaries exoneraverit in corpora Sanctorum Martyrum; nihilominus in medio ſuppliciorum ſuorum gaudebant, & moriebantur DEO laudes canendo, quin vel loqui audirentur de ſuis tormentis. Et quomodo iſtud? nimirum, quia quantùm corpus deficiebat, & flacceſcebat, tantùm ſpiritus confortabatur, & proficiebat, mentiſque

tiſque robur debilitatem corporis ſuſtentabat. Cum auxilio gratiæ DEI omnia potentis videtur juſtus poſſidere Sanctam quandam patientiam, cujus adminiculô tranquillè navigat per amariſſimum mare dolorum, qui ſolent præcedere horam mortis. Tunc DEUS in animo juſti accendit lumina, & cogitationes; in corde ſenſus & affectus excitat tam dulces, & tam efficaces, ut prodigiosè ſpiritum erigant & confortent. Tunc DEUS oſtendit, quomodo per hos dolores & anguſtias animam totaliter purificet, & ſupremum decorem indat eam meritis ditando, & Chriſto JESU agonizanti aſſimilando: Hi ſenſus, hæc apparamenta dant moribundo ingentem animi vigorem, ut verificetur promiſſio Spiritûs Sancti: *juſtorum animæ in manu DEI ſunt, & non tanget illos tormentum mortis.* (*a*)

Si quis à multis annis aſſvetus fuit omnes

(*a*) *Sap.* 3. *v.* 1.

omnes ſuis ſenſibus negare blanditias & carnem domare laboribus, jejuniis ac pœnitentiis; & ſi tempeſtivè ſe exercuit in ſuperanda nimia ſenſualitate, in infirmitate poſtmodum exercitatum militem ſe experietur, & ad dolores ferendos perfacilem; non percelletur difficultatibus mortis, non concidet animis, imò nec inquietabitur: Patietur, ſed multò minùs, ad inſtar veterani militis, qui poſtquam tormentorum tonitruis, & cæterorum armorum fatali ſono aſſuetus eſt, ea tonare, ac fulminare intrepidus, & ſibimet conſtans audit.

III. Conſidera, quòd mundus, ùt Spiritus Sanctus apud Jobum loquitur, ſit quidam campus Martius, & quædam arena decretoria: *Militia eſt vita hominis ſuper terram* (*a*) quantum igitur ſolatium tibi erit recordari, quòd generosè ac conſtanter pugnaveris contra ternos hoſtes tu-

(*a*) *Job.* 7. v. 1.

os, mundum, carnem, & dæmonem? quòd fortiter restiteris omnibus tentationibus & reportaveris ex illis victoriam? quantum solatium! Est mundus instar mercaturæ, ac nundinarum; & DEUS te in illo constituit, ut concessis ad id talentis merceris thesauros meritorum: *Negotiamini dum venio* (a) Si partes tuas bene adimplêsti, si omnes merendi occasiones amplexus es, si DEUM timuisti, & fideliter illi servivisti, si amore Christi hanc vel illam, injuriam patienter tolerâsti, si hanc vel illam insolentiam, hunc vel illum despectum; si collegisti magnas virtutum divitias: O! quantæ id tibi futurum est consolationi! bona opera sunt claves, quibus tibi reseratur janua paradisi: *Hæc porta Domini: justi intrabunt in eam* (b) quantum solamen erit hanc clavim in manu tua videre, cùm morieris? ibis ad mortem, ùt miles ad triumphum, ùt

(a) *Luc. 19. v. 13.* (b) *Ps. 117. v. 20.*

ùt, nauclerus ad portum, ùt operarius ad mercedem, ùt exul ad patriam. O! quantum ſolatium!

PUNCTUM III.
Ad quid obliget conſideratio mortis.

I. COnſidera, non reperiri ullum, qui in articulo mortis non optet eſſe in bona illa diſpoſitione, quæ paulò antè ponderata fuit. Verùm, ut tunc ejus fructu gaudeat, opus eſt, ut modò ſemen illius jaciat, omne illud abhorrendo, quod in agone ultimo faſtidium creare poſſet. *Declina à malo* (a) amplectendo omne illud, quod in vitæ termino allaturum eſt conſolationem. *Et fac bonum. Declina à malo*: quod ut declines, oportet te concipere adeò intenſum peccati cujuſcunque odium, ut vel ſolum peccati nomen horrorem tibi incutiat, & umbra atto-

(a) *Pſ. 36. v. 27.*

nitum reddat. Capienda eſt magnanima reſolutio cordi tuo deinceps abſolutô imperiô dominandi, omnibúſq; viribus inordinata deſideria reprimendi, quæ tanto ardore erga mundũ, & evanida ejus bona te accendunt. Si divitias poſſides & honores, cave ſis, nè laqueis ſuis te innodent, ut nè deinde illorũ abdicatio te conſtet terrore, deſperatione, & languore. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere* (*a*) non dicit, renuntiandum eſſe omnibus, quæ poſſides, aut deſcendendum de dignitatis gradu, in quo te vel naſcendi felicitas, vel meritorum ſuffragia collocârunt, non exigit, ut ab omni mundano commercio te ſubtrahas, non; ſed ut in ſtatu tuo, in quo DEUS te naſci voluit, aut merita propria conſtituerunt, perſeverando, vel illum etiam viis honeſtis & legitimis promovendo, non ames mundum, dignitates, vanitates, pompas & mundanos ſplendores: vetat hæc pro idolis

(*a*) *Pſ. 61. v. 11.*

dolis haberi, ità ut felicitatem tuam in iisdem subsistendo reponas: *nolite cor apponere*. Et quomodo cognosces, an hucusque in corde tuo regnârit inordinatus affectus iste, ut deinceps, eundem corrigas? dicam: Ex fumo cognoscitur, ubi deliteat ignis. Existimata felicitas, quæ vel primam, vel maximam temporis portionem mundanis concedit negotiis, postremam verò divinis; superflua solicitudo procurandi bona terrena; inquietus timor ea perdendi: lamenta, anxietates, & indignationes, si nascantur ex bonorum istorum jactura, sunt luculenti characteres, ex quibus evidenter legitur, quantùm in homine prædominentur desideria rerum terrenarum.

II. Considera, quòd pœnitentia non solùm in eo consistat, ut non ampliùs degeneres in virulenta peccatorum mala, sed ut feras sanos bonorum operum fructus: ut non solùm peccata, quæ commisisti, dein-

ceps omittas, ſed etiam ut bona, quæ agere omiſiſti, exerceas. *ſac bonum*, expugnando vitia per oppoſitas virtutes. Oportet Scandaloſa nonnullarum culparum veſtigia delere per evidentia publicæ pietatis exempla, & conſtanti cum ædificatione coram aliis verſari. Pœnitentia proportionetur delictis, eſt neceſſe; *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem*, (inquit Apoſtolus) *ità nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in Sanctiſicationem.* (*a*) Quæſiviſti priùs voluptates illicitas? abſtine deinceps etiam à licitis: priva te certis commoditatibus, deſideriis, & gaudiis: corpori tuo nimiùm blanditus es delicatè illud tractando, de cibis juſtò amplius aliquid indulgendo? mortifica illud pœnitentiis, & jejuniis. Superfluo corporis ornatui, vano luxui indulſiſti in veſtimentis? relinque vanitates, & apparentias inanes,

(*a*) *Rom. 6. v. 19.*

nes, ad ſtatûs tui proportionem veſtitum conforma. Ambitioni mederis per humilitatem: iræ & indignationi per patientiam: odiis per charitatem. Scias itaque, quòd nihil iſtorum executioni daturus ſis, nec illum facturus profectum, quem præſens in ſpiritu fervor promittit, & quem DEUS à te expectat, ſi perſeveraveris in iiſdem occaſionibus, in iiſdem ſocietatibus, in iiſdem converſationibus, & in otio eodem: relinquenda ſunt hæc omnia, & reſpectus humanus tandem generosè vincendus. Noles certè his irretitus mori; nè ergo ames illis implexus vivere: opus eſt hìc ſalutari reſolutione.

III. Conſidera, quòd res ſingulæ eædem in ſe ſint, quales in articulo mortis eſſe videbuntur. Igitur eôdem mentis oculô, eodem ſpiritu nunc inſpiciendæ ſunt, quô illas tunc intuebimur. Cùm ſteteris ponè arctam viam, quæ exitum ex hac

vita repandet in morte; quid putas: quod judicium feres de voluptatibus, de blanditiis divitiarum, recreationum, converſationum, riſuum & jocorum; de plauſibus, de judicio, & æſtimatiòne hominum? videbuntur omnia vaniſſimus fumus eſſe. Nunquid hoc verum judicas? igitur & modò fumus ſunt & vanitas. Et hunc tu non ſpernis modò? non deplorás coram DEO tuum erga objecta tam vilia, tam pernitioſà affectum? An Euangelium, quod mundum & omnes vanitates, odia, & vindictas ejus damnat, nunc minùs verum eſt, quàm tunc futurum ſit? minimè. Igitur *ùt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* (a) neceſſum proinde eſt tam longè ex oculis tuis recedat terra, quin ejus bona deinceps cordi tuo ullum imprimant illicium, ut dicere poſſis cum Davide: *quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terrā?* (b) Quid

(a) *Pſ. 4. v. 3.* (b) *Pſ. 72. v. 24.*

Quid moriens judicabis de virtutibus pœnitentiæ, humilitatis, mansuetudinis, charitatis erga DEUM, & proximum ? appretiabis eas ùt thesauros. Ergo conveniens est, ut & nunc eas æstimes ceu opulentam Summam, quâ salutem tuam redimas. Dic amabò, an non leges Evangelicæ, quæ ad lumen ultimæ candelæ, exhibebunt ingentes esse obligationes, quas tibi partim professio Christiana, partim status tuus, partim officium tuum imponit; dic inquam, an non leges illæ nunc eædem sint ? Ità est, sunt omninò eædem. Nunquid motiva, quæ Sancta Ecclesia, ut satisfacias legibus adeò justis, & quæ tibi tunc videbuntur efficacia ad solvendam omnem objectionem, & tollendum omne obstaculum, sunt eadem ? ità est, sunt omninò eadem. Si ergo nunc habes easdem obligationes, si motiva eadem, idem necessariò faciendum est nunc, quod in illo arti-

ticulo facere velles & antea fecisse. Nulla igitur res, quanticunque sit illicii, & magnetismi, à te obtinere debet, ut tua erga DEUM & sacerrimas ejus leges fidelitas, non sit modò talis, qualem tunc esse percupies. Tunc, tunc agnosces, & fateberis DEUM infinitè dignum esse, ut illi serviatur, ut ametur omnibus viribus, ac præferatur omnibus cæteris objectis; & cur istud hìc & nunc nondum à te meretur? nónne idem ipse nunc est, qui tunc esse Videbitur? nunquid eadem hodie est bonitas ejus? eadem sapientia? eadem omnipotentia? eadem justitia? an fors tunc habebit plus authoritatis? plus Majestatis? aut plus dominii, quàm nunc habeat? minimè. Fors non ità verum est hodie, sicut in morte videbitur & erit, quòd DEUS, ut tuum erga se amorem conservet, te jubeat renuntiare omnibus, quæ in mundo habes charissima; tuis passioni-

ſionibus, & tibimet ipſi? ſors infernus, quem ceu terribiliſſimum tunc exhorrebis, non eſt hodie idem ipſe infernus? O! cur ergo non agis modò, quod tunc egiſſe voles, ut illum effugias? ſi veritates iſtæ tunc efficaces futuræ ſunt, ut ad DEUM te convertant, cur id non efficiunt modò? Porrò ſi verum eſt, utì eſt veriſſimum, quòd DEUS ſit ſemper idem DEUS, poſtquam tamen, ità vivis, & taliter agis, ut omnes ejus perfectiones efficaces non ſint ad te in amorem ejus pertrahendum: quomodo? ah! quomodo eam efficaciam habebunt in morte? in ſupremo illo annorum tuorum die, quando ab omni paſſione liber futurus es, & immunis à dolo apparentiarum humanarum, quando rerum genuinos vultus inſpecturus, oculos ad lumen fidei aperies, judicabis nullum majoris momenti negotium eſſe, quàm negotium tuæ ſalutis: nunquid hoc eſt veriſſi-
 mum?

mum?Ità eſt,eſt veriſſimum. Habebis perſuaſiſſimam hanc ſalutis teſſeram: quòd nihil proſit homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Stultitias fuiſſe æſtimabis, tantas illas ſolicitudines, anxietates & inquietudines comparandis bonis terrenis à te impenſas. Ah! dices ad te ipſum: quare, & ad quid tot annos perdidi? qualibus, quantiſque ineptiis permiſi me deludi? tunc animô eris promptiſſimô, omnia dandi, omnia ſacrificandi, tentandi omnia. Nihil videbitur difficile. Cur idipſum modò non dicis?cur modò non es ejusdẽ judicii?ejuſdem fervoris? ejuſdem promptitudinis? cur non eſt hodie,ſicut tunc erit, ſalus animæ tuum maximum & unicũ negotium? Non eſt æterna felicitas hodie,ſicut erit poſtea, bonum altius omnibus bonis,quæ dare vel promittere mundus poteſt? O! cur igitur jam affectum nutris tam diverſum; cur

cur tam alios animos, in executioni dandis mediis, quibus bonum, bonis omnibus excellentius, consequaris?

IV. Considera: Si DEUS tibi sequenti mense concesserit vitam, certum esse, quòd eam tibi præcisè concedat, ut spatium habeas de peccatis præteritis pœnitentiam agendi, & merita tua adaugendi. Si beatus aliquis descenderet de cælo, & damnatus ab inferis rediret in hunc mundum; quid non ageret electa illa anima pro reditu ad felicissimam patriam, cujus dulcedinem jam degustaverat? quid non faceret ille præscitus, nè denuo ruat in abyssum tormentorum? Ah! lector dilectissime, quid nobis agendum est? certè non debemus minùs agere, quàm unus & alter illorum; postquam nobis certò certiùs constat, quòd vita nostra desitura sit in alterutràm duarum istarum æternitatum. DEUS nobis adhuc breve hoc tempus indulget, ut merita

nostra

noſtra accumulemus. O qualis gratia! quantum beneficium! Sancti in Cælo gaudent meritorum ſuorum præmiô; ſed merita ſua non poſſunt augere, non poſſunt fieri ſanctiores; quod tu potes: quantâ tu præ his gaudes prærogativâ, qui potes exercere novas virtutes, providere tibi de novis meritis, & acquirere jus poſſidendi altiorem & altiorem gradum gloriæ. Certum etiam eſt, quòd multi hominum ſint adhuc hodie morituri, imò hâc ipſâ horâ ex hoc mundo exceſſuri. Quid ſi DEUS illis concederet adhuc annum, adhuc unum menſem vitæ; quanta non agerent? quanta cum ſolicitudine ſe non applicarent ad pietatis ſingulariſſimæ exercitia? ad exercendas omnes virtutes Heroicas? *O ſi daretur hora*! putas: timerent reſpectus humanos? dicteria mundi? arduitatem operis? fors haberent reſpectum contemnendi

nendi vel blandimenta deliciosæ vitæ, vel divitias domûs ad splendorem ornatæ, vel jactantiarum mundanarum vanitatem? Ah! cogitas, essent tam prompti, tam generosi, tam constantes in virtutis exercitio, ut attonitus stuperet orbis: & tu habes adhuc aliquod merendi spatium, & tam lentè progrederis absque resolutione impendendi illud DEO, animæ tuæ, Paradiso? considera te igitur imposterum, quasi hominem ex altera vita reversum, cui DEUS adhuc indulserit aliquod tempusculum assecurandi, emendandi, & sanctificandi animam suam. Respice te, quasi resuscitatum à mortuis, & per consequens ad hoc redivivum, ut novam vitam inchoës, restaures præteritam, perficias præsentem, & futuram. Ubi de æterna salute agitur, nunquam agitur cum sufficiente circumspectione, solicitudi-

ne,

ne, ac timore: *Nulla satìs magna securitas, ubi periclitatur æternitas.* (a)

Finita meditatione recita hymnum, quem Sancta Mater Ecclesia legit in Missa Defunctorum; sed recita illum tardè & cum attentione ad singulos verborum sensus: aut hujus locô coram imagine crucifixi dic colloquium infrà subnexum:

Dies iræ dies illa
Solvet sæclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus,
Cuncta strictè discussurus?
Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.
Mors stupebit & natura,
Cùm resurget creatura,
Judicanti responsura.

Liber

(a) *S. Gregor. Refer.*

Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo cùm ſedebit,
Quidquid latet apparebit,
Nîl inultum remanebit.
Quid ſum miſer tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus?
Cùm vix juſtus ſit ſecurus.
Rex tremendæ Majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salva me fons pietatis.
Recordare JESU pie,
Quòd ſum cauſa tuæ viæ,
Nè me perdas illa die.
Quærens me ſediſti laſſus,
Redemiſti crucem paſſus,
Tantus labor non ſit caſſus.
Juſte judex ultionis,
Donum fac remiſſionis,
Ante diem rationis.

Inge-

Ingemiſco tanquam reus,
Culpâ rubet vultus meus,
Supplicanti parce DEUS.
Qui Mariam abſolviſti.
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoque ſpem dediſti.
Preces meæ non ſunt dignæ,
Sed tu bonus fac benignè,
Nè perenni cremer igne.
Inter oves locum præſta,
Et ab hædis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro ſupplex & acclinis,
Cor contritum quaſi cinis,
Gere curam mei finis.
Lachrymoſa dies illa,
Quâ reſurget ex favilla,
Judicandus homo reus.

Huic

Huic ergo parce DEUS,
Pie JESU Domine. Amen.

Affectus ad JESUM Crucifixum.

O Mi Amabilissime Redemptor, Respice ad pedes tuos humillimè abjectam creaturam, quæ toties & tam graviter te offendit. Si peccata mea intueor: audio æquissimas voces, queis ad tribunal tuum vindictam exposcunt. Grande est meum demeritum! & hoc est, cur timeam grande supplicium. Sed cùm oculos meos ad pietatem tuam reflecto, cum venia gratiam spero. Mi chare DEUS: recordare, quantos dolores mei causâ pertuleris, quantum sanguinis amore mei profuderis. Ah! noli admittere, ut inutilia mihi evadant tanta supplicia, à te benignissimè pro me tolerata: noli, ah! noli admittere, ut pretium suum in me perdat

tantus

tantus ſanguis. Noli admittere, ut poſt tam profuſos ſumptus, pro mei Redemptione factos, de novo perdar. Si meæ lacrymæ valent recuperare tuam gratiam, ſtat animô firmum, nunquam fontem, unde promanent fuſiſſimè, claudendi: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* (*a*) plorabo donec audiam dulciſſima illa verba: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum.* (*b*) Valete itaque vanitates, valete voluptates. abjicio vos, non quòd vos reæ ſitis, ſed quia ego per vos peccavi. Ille tandem utatur vobis, qui nunquam DEUM offendit: mihi, qui DEUM toties offendi, pœnitentia convenit, quam & toto corde amplector: propono me ducturum novam vitam, & aſſumpturum novos mores. O mi DEUS! coram Majeſtate tua proteſtor, qualiſcunque difficultas concepto animi mei decreto

ſe

(*a*) *Pſ. 6. v. 7.* (*b*) *2. Reg. 12. v. 13.*

ſe oppoſuerit , immobilis divinæ legi tuæ adhærebo , nunquam dilecta ſemel virtutis caſtra relinquam. *Juſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram.* (*a*) Reſigno me totum in manus tuas, amore mei cruci huic confixas. Hæc eſt, hæc erit ſemper aſylum timoris mei, & fortitudo ſpei meæ. Nimiùm quàm verum eſt, quòd peccata mea, has plagas tuas aperuerint ; ſed amor tuus in refugium meum eas convertit. Scio; quòd delicta mea collimatura ſint ad hoc ultimum punctum , ut me coram divino tribunali tuo terrore impugnent; ſed ſpero, DEUS meus, ſpero me illa victurum invincibili ſcuto Sanctæ crucis tuæ. Et cur, Domine, hæc vulnera, mei amore in cruce ſuſcepta, tecum glorioſus in Cælum tuliſti? cur? nisì ut quantùm me amâris, & quantùm me poſt omnia amare pergas, demonſtrares,

(*a*) *Job. 27. v. 6.*

ſtrares? tam arctè igitur me in cruce complexum ſiſto tribunali tuo, confiſus, quòd non dedignaberis indulgere, ut dolor meus emori faciat peccata mea, ubi Divina juſtitia voluit mori filium ſuum. Ah! Domine! fac, quod promiſiſti. Ego clamo; aperi mihi: ad te revertor; recipe me: ego quæro; da, ut, quod quæro inveniam. *Memor eſto verbi tui, in quo mihi ſpem dediſti.* Spero me ſalvandum eſſe, poſtquam miſericordia tua mihi media ſatisfaciendi pro culpis meis clementer indulſit. O quantum, erga me amorem teſtatus es, vitam tuam pro me dando! quomodo amori huic reſpondeam, niſi reciprocè offerendo meam? En dono tibi illam, & dono illam ex toto corde. Vivam deinceps in timore juſtitiæ tuæ, nè te ampliùs offendam; moriar cum ſpe miſericordiæ tuæ, ut æternùm te amem.

LECTIO
De Confeſſione.

VOluit DEUS de mediis infallibilibus proviſum morbis animæ; noluit infirmitatibus corporis. Nec abs re: illi ſiquidem ſemper mali ſunt; iſtæ non raro ſunt nobis remedium, & noſtrum in emolumentum per patientiam convertuntur. Omnium animæ tuæ morborum certum & ſecurum medium præbet Sacramentum pœnitentiæ, & ideo proxima, quam peragere ſtatuiſti, confeſſio, debet à te ſic inſtitui, acſi eſſet ultima, acſi poſt illam mox deberes comparere, coram divino tribunali. Et poteſt accidere, ut revera ſit ultima, à qua dependeat, quomodo in morte à DEO judiceris. Ad tria autem reflectere oportet præcipuè: ad examen, dolorem, & propoſitum. Quantùm ad examen, poſtquam ſemel feciſti confeſſionem generalem,

à tempore, quo cœpisti seriò te applicare ad servitium DEI, & curam animæ tuæ: si tunc quietô fuisti animô, noli ampliùs recogitare peccata, quæ tunc confessus es, præterquã si tibi occurreret dubium, vel difficultas, vel scrupulus circà commissa vel omissa contra legem DEI, contra statum, officium, charitatem, aut misericordiam: ut sis securus in re tanti momenti, aperi totum confessario quàm potes clarissimè ac syncerissimè, ut nihil ampliùs dicendum remaneat in morte, & sic quietabis animum tuum. Accusa te de peccatis venialibus, saltèm secundùm illorum speciem, si non secundùm numerum singulorum, quia *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum* (*a*) confitere autem sinè excusatione, & sinè tui defensione. Longè aliter solent se accusare homines in mortis angustiis, quàm in cæteris confessionibus; quia

(*a*) *Apoc. 21. v. 27.*

quia tunc temporis res non apparent vestitæ ac larvatæ popularium opinionum erroribus, sed malum & bonum proprio vultu & nativis coloribus se præbet aspectabile, & idcirco, eheu! quàm alia causant de se judicia. Insuper roga Confessarium, ut, si quid defectuosum in te cognoscat, aut quomodocunque à DEO requisitum circa statum vel officium tuum, circa tenorem vitæ præteritæ vel futuræ, non blandiatur tibi, sed apertè veritatem dicat, prout causa tam gravis exposcit. Quod dolorem concernit sufficit quidem ad recuperationem gratiæ divinæ intrà Sacramentum pœnitentiæ attritio, verumtamen enixè suadeo, ut coneris excitare voluntatem ad eliciendum actum perfectæ contritionis, idque pluribus ex causis: primò enim, cùm contritio sit efficax dolor & detestatio peccati super omnia alia mala (& ideo: quia hoc est

contrarium, & displicet infinitæ bonitati DEI) cum proposito non peccandi imposterum: non potest dolor & planctus noster motivo digniore inniti, quàm quòd offenderimus bonitatem divinam. Deinde si tenemur amare DEUM *super omnia*, tanquam summum bonum; sequitur bonum istud quoque amari debere summo amore, dum possidetur, & plangi summo dolore, cùm est amissum. Est hoc Sancti Regis David consilium: *Confitemini Domino, quoniam bonus.* (*a*) *Confitemini*; sed scire si cupis quô veritatis tonô excitandum sit cor tuum ad deflendas animæ noxas? audi: *quoniam bonus.* En quale tuarum lacrymarum motivum esse debeat. Bonitas, Patientia, & Misericordia DEI injuriâ affecta & offensa: ità suasit Rex pœnitens, & quod suasit exemplô docuit, ad Nathan Prophetam dicens: *Peccavi Do-*

mino

(*a*) *Ps. 117. v. 1.*

mino (a) & psalmo 50. DEUM alloquens: *tibi soli peccavi* (b) quantumcunque peccârit contra Bersabeam, cui scandalo fuerat: contra Uriam, cui vitam iniquè eripuerat: contra animam suam, cui damnum tam grave intulerat: in sola tamen DEI offensa pœnitentem oculum defixit. Et quomodo Jeremias exhortatur Jerusalem, quæ animæ pœnitentis figura est, ad lacrymas super peccata sua, fundendas? eô modô, quô post ingentem imbrem procurrit torrens: *Deduc quasi torrentem lacrymas* (c) cur non permodum rivi cujus cursus non deficit unquam? Non; *quasi torrentem*: quia aquæ torrentis, præter velocissimum decursum, & masculum quendam vigorem, sunt totæ cælestes, ut terræ nec cursum suum, nec originem debeant. En mysterium: ut persuasum haberemus, quòd

 prin-

(a) *2. Reg. 12. v. 13.* (b) *ibid. v. 6.*
(d) *Threnor. 2. v. 18.*

principale doloris noſtri motivum eſſe non debeat, nisi cæleſte, ſummum & divinum. Deinde cùm actus contritionis ſit longè perfectior, quàm actus attritionis, conſequenter magìs meritorius, & efficacior ad devinciendam Majeſtatem divinam: Sacramentum pœnitentiæ multò majorem gratiam confert illi, qui contritus, qnàm qui præcisè attritus illud accedit. Quò intenſior autem & perfectior eſt dolor, eò abundantiorem gratiam meretur pœnitenti; & quia gratiæ in terris poſſeſſæ gradibus, reſpondet gloriæ theſaurus in cælis, ideo per contritionem multùm augebis æternam beatitudinem tuam. Præterea, ſicut contritio, mox ùt elicita eſt, omnia peccata mortalia excludit: ità in caſu, quo ex defectu alterius requiſiti Sacramentum tibi eſſet invalidè collatum, peccata tua virtute actûs hujus tibi nihilominus adhuc manerent remiſſa, conſequen-

ſequenter per contritionem ſis ſecurior gratiæ divinæ, æternæque ſalutis. Tandem poteſt elici contritio tam intenſa, ut deleat etiam omnem reatum pœnæ, adeò, ut hodie adhuc moriens poſſis ſubitò evolare ad poſſidendum ſummum bonum, & immortalem felicitatem.

Nec terrearis apparente actûs hujus difficultate, non enim adeò, ùt putas arduum eſt, eundem elicere. Salutis humanæ hoſtis, ut Sani confiteantur rariùs, & infirmi absque ſatisfactione pro peccatis moriantur; utriſque perſuadere conatur, actum contritionis eſſe perdifficilem: ſed hæc mera dæmonis illuſio eſt, ſiquidem in lege naturæ, & in lege ſcripta unicum & ad ſalutem abſolutè neceſſarium peccati mortalis remedium fuerat, actùs charitatis, & contritionis perfectæ: non poterat ergo adeò arduum eſſe redire in gratiam DEI, ad quod

tam ſæpe, & tam nervosè DEUS peccatores tunc invitaverat per Prophetas. Difficultatis hujus timor fovetur æquivoca ſaluberrimi actûs apprehenſione, quæ paſſim multos decipit, quòd nimirum Contritio perfecta conſiſtat in ſenſibili dolore de peccatis, in profunda quadam triſtitia, & amariſſimo planctu: ſed opinio hæc falſa eſt; non ſpectat enim contritio ad partem ſenſitivam hominis, ſed ad rationalem, quia eſt actus voluntatis, quæ eſt potentia ſpiritualis, eſt actus liber, meritorius, & ſupernaturalis. Hinc errat, qui putat, veram ſe non elicere contritionem, ſi hæc ſenſibilis non ſit, quamvis in animo elicita ſit, quin è contra ſenſibilitas illa nec eſt de ſubſtantia contritionis, nec de ſe eſt ſupernaturalis, nec meritoria. Nónne enim ſanctiſſimi quique ex toto corde, & ſuper omnia DEUM amârunt, quin compunctionem in appetitu

ſenſi-

ſenſitivo perciperent? Animæ purgatorii deteſtantur peccata ſua ex toto corde, amant DEUM ex omnibus viribus ſuis; & tamen ſenſu omni carent. Animæ beatæ in cælis DEUM amant cum excellentia perfectionis; nec tamen ſenſum habent, utpote à corporibus ſuis ſeparatæ. Non abnuo tamen, quòd, quando contritio in parte ſuperiori animæ magna eſt, percipiatur etiam in parte inferiori, & commotio animi redundet ſimul in ſenſum reſolvendo cor in profunda ſuſpiria, frequentes gemitus, dulces lacrymas: eô ferè modô, quô accidit in palatio, quando in ſuprema illius contignatione excitatur modicus ſtrepitus, is non auditur in infima; aſt ſi ſtrepitus major ſit, & multùm ſonorus, ſe transfundit, & communicat ut audiatur uſque ad imum ædificii.

Contritio cujuſcunque gradûs ſit, eſt contritio: ſic infirmus aut Convaleſcens, tam bene homo dicitur,

citur ac ſanus & robuſtus; tam bene humanam naturam habet infans in faſciis, ac Samſon reſiſtens Philiſtæis: alia nimirum eſt ſubſtantia virtutis, alia quantitas & qualitas ejus. *Quid* & *quantum* inter ſe differentia ſunt. Subſtantia contritionis ſanctificantis non conſiſtit in gradibus intenſionis, & fervoris, quales quidem optimi ſunt, optabiles, & ad quos debemus conniti; non ſunt tamen neceſſarii: ſed ſita eſt in amore appretiativo, qui ùt talis, in quantum nempe eſt DEI ſummè boni ſuper omnia cætera bona æſtimativus, non poteſt eſſe major, nec minor: ſufficit amare DEUM ſuper omnia alia propter ſeipſum, & propter ſuum intrinſecum meritum, ac dolere de peccatis ſuper omnia alia mala. Et in hac ratione contritio æqualis eſt in omnibus, qui eam eliciunt: ideo S. Thomas ubi quærit: *An parva contritio ſufficiat ad deletionem magno-*

rum

rum peccatorum? (*a*) Respondet affirmativè: quia conjungitur cum gratia sanctificante. Et alibi dicit: *Contritio quantumcunque parva, omnem culpam delet* (*b*) dicit: *parva*, ut eam contradistingueret à magna, nempe ab intensissima. Idem docet Albertus magnus: *Minima contritio omnes animæ maculas delet, mortem æternam occidit.* (*c*) Atque hoc, quia contritio, cujuscunque gradûs sit, habet naturam & proprietates contritionis, est sanctificativa, & DEIficativa. Quàm primùm contritio DEO aperit cor hominis, intrat in illud gratia, cujus minimus quisque gradus sufficit, ad excludenda omnia peccata gravia, & ad introducendam amicitiam Divinam cum jure ad æternam gloriam.

Desiderabis fors medium modúmque, quô disponaris ad actum tam magni momenti eliciendum?

E 5 quam-

(*a*) *Suppl. ad 3. qu. 5. art. 3.* (*b*) *D. 1. d. 1. 4. q. 2. art. 1.* (*c*) *in Paradiso animæ*

quamvis enim dolor de peccatis ſit donum DEI, debemus nihilominus adniti, ut illum aptis conſiderationibus procuremus. Cur in paucis reperire ſit veram cordis contritionem, naſci videtur ex eo, quòd in paucis reperiatur, mens, ut par eſt, illuminata, *nihil* enim *volitum quin præcognitum.* Plangit Mater amaris lacrymis filioli mortem, quia novit jacturam quam fecit; Non dolet infans in morte patris ſui, quia per ætatem capax non eſt infauſtum ſibi caſum cognoſcendi. Quamobrem habes pro quo DEO ferventiſſimis precibus ſupplices, ut nimirum dignetur emollire cor tuum, & concedere gratiam eliciendi actum veræ contritionis, intellectui tuo manifeſtando gravitatem injuriæ, quâ offendiſti ſuam divinam Majeſtatem.

David, qui eam bene cognovit, qualiter & quantum non flevit?

exitus aquarum deduxerunt oculi mei. (a) Gemini lacrymarum rivi ab oculis per vultum ejus incessanter decurrebant. Dic cum S. Augustino ad Dominum: *Da quod jubes, & jube quod vis.* Postea (cùm tota contritionis efficacia consistat in amore DEI propter seipsum, & in odio peccati, quia est offensa DEI) ad cor tuum meliùs disponendum, necessariò tibi providendum esse censui de nonnullis motivis valituris ad justam Ideam de divinitate formandam. Proinde pondera

I. Quis sit ille, quem offendisti. Est objectum, quod quantò plures perfectiones habet, tantò plura motiva continet, ex quibus ametur. Credis, quòd DEUS sit merum esse infinitarum perfectionum, in quo unitæ colligantur omnes perfectiones per res creatas dispersæ, & unaquælibet insuper cum Eminentia quadam infinita. Et hic

(a) *Ps. 118. v. 136.*

est ille, quem toties, tot annis, cum tanta audacia, cum tanto contemptu, & cum tanta facilitate, ac promptitudine offendisti. Sicut non est possibile imaginari sibi rem majorem, quàm DEUM; ità non est possibile concipere injuriam iniquiorem, quàm quæ DEO fit peccando. Et tu, O! quoties hanc injuriam renovâsti relinquendo sum̃um bonum, & dorsum illi obvertendo, amore modici illius boni, quod te reperturum sperabas in re creata? eheu! quàm calidis lacrymis deflenda est tam gravis offensa, & tanti boni jactura.

2. Illud ipsum esse DEI infinitè perfectum, est unicum in natura divina, consequenter peccando directè contra DEI unitatem deliquisti, quia tot idola in corde tuo erexisti, quot creaturas contra divinam ejus voluntatem amâsti, & hoc ipso in illis ultimum finem tibi constituisti; sciens enim prohibitionẽ divinam, & nihilominus peccans, idem

egisti,

egiſti, acſi dixiſſes: plùs amo, plùs æſtimo hanc commoditatē, hanc voluptatem, quàm DEUM: Ille quidem mandat, ut ab illa abſtineam, ſed quid indè, non curo mandatum, volo concupiſcentiæ meæ ſatisfacere. En quouſq; exceſſus injuriæ tuæ deveniat! quid ad hæc dicis? nunquid fuiſti cæcus? O quantum impegiſti! quantum errâſti! quàm ſtultus fuiſti!

3. DEUS eſt infinita ſapientia. Clariſſimè videt, ac cognoſcit omnia, quantumcunque ſecreta ſint & abſcondita: dum tu peccabas, ille ſtabat conſiderando te, & præſens tibi aderat: immenſus enim eſt. Quis amabò auderet unquam legem humanam tranſgredi, in conſpectu Principis aut judicis? quiſque conatur delictum ſuum abſcondere ab oculis hominum, etiam viliſſimorum, ideo quæruntur latibula, quæruntur tenebræ, dum peccatur. Et tu, qui ſciviſti, quòd DEUS tibi præſens adeſſet, têque intueretur,

tur, nihilominus te resolvisti ad illum offendendum in facie sua: tam parum curâsti DEUM. O ingentem malitiæ tuæ excessum!

4. DEUS singulis momentis impendit suam omnipotentiam, ut te conservet, ac ditet mille bonis; Si enim te vel ad momentum desereret, ocyus in nihilum recideres: Et tamen cùm te actualiter, & continuò conservaret, ac benefaceret tibi, rebellis fuisti divinæ Majestati ejus, ut eam injuriis afficeres. Dum suo actuali concursu te adjuvaret, ut audires, videres, loquereris, ambulares; tu hos eosdem sensus impendisti in ejus offensam: quid videtur tibi de hac ingratitudine?

5. Pondera supremam DEI providentiam. A die, quô te creavit, cogitationes suas ad te reflexit, providit tibi de victu, vestitu, habitatione, recreatione, honoribus, & facultatibus; & tu quomodo respondisti? injuriis millies repetitis.

libera-

Liberavit te ab innumeris periculis, infirmitatibus, infamiis, calumniis & variis afflictionibus; quid tu reddidisti? offendisti illum eò liberiùs, quò major felicitas ac prosperitas tibi fuit concessa. Tu foves caniculum, qui te sequitur fideliter; amas servum, qui tibi est ab obsequiis; amicum, qui te solatur in labore aliquo; protectorem, qui tibi assistit in aliqua causa; benefactorem, qui tibi succurrit in necessitate: Et DEUM, qui à mille malis te defendit, mille bonis te accumulavit. vah! quomodo tractâsti? ùt inimicum, tot injurias illi irrogando, quot culpas admittendo. En pretium, quod illi reddidisti.

6. Pondera divinum erga te amorem: ab æterno recordatus est tui, & amavit te: sinè omni merito tuo, solo bonitatis suæ impulsu extraxit te ex nihilo: cùm videret innumeros alios homines, quos creare posset; in te oculos conjecit: quantus amor! nec satìs, etiam post-

quam

quam illum offendisti, non desiît te amare, continuavit suam circa te providentiam, & sua beneficia non abrupit; & tu per tot vitæ annos fors nunquam erga illum verum actum amoris exhibuisti; imò fors nec dies effluxit, quô illum non offendisses aliquo peccato. Non est ergo nunc adhuc tempus deflendi tua delicta?

7. DEUS est infinitè justus, & infinitè misericors, spectátque ad justitiam ejus utì præmiare justos, ità punire peccatores. Hujus impulsu Angelos post unicum peccatum condemnavit ad infernum; & innumeri homines in primo peccato à morte obruti patiuntur inextinguibiles inferni flammas, patientúrque tamdiu, quamdiu DEUS erit DEUS. O quot, quantísque vocibus iniquitates tuæ clamârunt & forsan clamant hodiedum, ad tribunal offensæ justitiæ divinæ pro vindicta? quid eam videtur retinuisse,

nuisse, retineréque à promerita sententia post primum peccatum tuum, vel saltèm post secundum, vel post tertium? quid? quòd non incideris cum illis in horrendam perennium tormentorum abyssum? etiam tu hoc momento ardere deberes inter averni incendia: quis brachium omnipotentiæ divinæ ligavit, quis cohibuit, nè commeritum damnationis fulmen irrevocabili decretô in te vibraret? quis advocatus pro te intercessit? sola & mera bonitas sua. Omnipotens DEI charitas est, quæ *continuit in ira sua misericordias suas.* (a) O bonitas! O Misericordia! Et adhuc hanc veritatem maturè considerando non sentias te accendi amore, & affectu ardentissimo ferri erga tam benignam, tam misericordem DEI bonitatem? Adhuc non detesteris cum summa abominatione indignissimas illas actiones, quibus vilipendisti Majestatem infinitè

(a) *Ps. 67. v. 10.*

nitè amabilem? quid æquius, atque ut dicas: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitâsset in inferno anima mea.* (a)

8. Reflecte oculos tuos ad Christum crucifixum; & disce quantum malum sit peccatum, pro quo ut satisfaceret filius DEI, homo factus est: Ille suscepit in se debitum iniquitatũ tuarum, ut de iis doleret tanto doloris sensu, cui æqualis nunquam fuit, nec futurus est in hac vita: & post tam exquisiti amoris excessum tu de novo illum offendisti, & vulnera pro te amanter perlata renovâsti, *rursum crucifigentes Filium DEI.* (b)

Quantum postea propositum emendationis attinet, hoc tribus qualitatibus conjunctum esse oportet, debet *efficax* esse, *absolutum*, & *universale.* debet esse *efficax*, quia dum Confessario candidè aperis animæ tuæ vulnera, debes te exhibere promptum

(a) *Ps. 93. v. 17.* (b) *Hebr. 6. v. 6.*

promptum ad ſuſcipienda remedia, quibus ea conſanes, & in futurum ab iis præſerveris; *promptum* ad executioni dandum quidquid præſcripſerit, ut à vitiis præſteris immunis, tentationibus fortiùs reſiſtas, paſſiones injectô frænô coërceas. Debet eſſe *abſolutum*, abſque conditione, & limite reſtringente, quale definivit Sacra Synodus Tridentina, ut nempe ſit incompoſſibile *cum omni voluntate peccandi*. Debet eſſe *univerſale* tum quoad tempus, cùm quoad ſpecies peccatorum. Multæ quidem difficultates prima fronte ſe oggerent, ut propoſitum tuum infringant; ſed bene animadvertas, quòd tuum fictum *non poſſum*, linguâ prætenſum, cognoſcetur ab illo, qui ad ipſum animæ tuæ fundum penetrat, revera nihil aliud eſſe, quàm in corde tuo latens *non volo*.

Actus

Actus Contritionis.

O DEUS meus, peccavi in te, offendi te, non ſemel; ſed millies & millies. Offendi divinas perfectiones tuas: bonitatem tuam, quam amare debebam; juſtitiam tuã, quam timere debebam; ſummam excellentiam tuam, quam debebam adorare: & eò uſque audax & ingratus fui, ut leges tuas transgrederer in conſpectu & præſentia tua.

Eaſdem potentias, & auxilia gratiæ eadem, quæ mihi donâſti, ut iis uterer in tuum obſequium, ego in arma converti, quibus te offenderem. Et cur? O confuſio! ut abominabilis Sclavus creaturæ alicujus, imò diaboli mancipium fierem.

Tu me amâſti, à quo DEUS es; & ego te offendi, à quo habeo uſum rationis. O DEUS! & quomodo vivere potui, quomodo ſubſiſtere in ſtatu adeò deplorabili? quomodo tam cæcus fui, quomodo

tam

tam durus, ut tantum malum non viderem, non ſentirem? Quomodo mi DEUS, poſtquam æternis incendiis tot alios peccatores, me longè minores, puniviſti, quomodo me uſque in hanc horam ferre potuiſti? Ah! confundor obſtinatione mea, admiror patientiam tuam, gratias ago bonitati tuæ.

Ah doleo, compungórque in anima mea vivaciſſimo doloris ſenſu, quòd te unquam offenderim. Utinam! ah utinam nunquam peccâſſem! beatus ille, milliéſque beatus, qui nunquam DEUM offendit. O quantum, quantum illi hanc invideo felicitatem! Eheu! diſplicet, & nimiùm quàm diſplicet, injurium in te extitiſſe; quia DEUS meus es, quem amo ſuper omne aliud bonum. Deploro peccata mea, quia ſunt tui offenſiva, & deteſtor illa ſuper omnia mala. Ah utinam poſſem concipere infinitum dolorem! toto animo illum conciperem, quia infini-

ti ſunt tituli, quibus ad illum deſiderandum obſtringor.

Amabiliſſime JESU, dilectiſſime Redemptor, ego te tortoribus tuis tradidi, ego te crucifixi. Non audeo ad te levare oculos meos; ſiquidem in cruce tua lego proceſſum meorum ſcelerum. Scio peccârunt Ninivitæ, peccavit David, peccavit Magdalena, peccavit Petrus; & quia fleverunt errores ſuos, eos illis remiſiſti: at ego plùs omnibus his reus ſum, quia diutiùs quàm illi, & graviùs longè peccavi offendendo te, poſtquam in paſſione tua tantùm me amâſti, atque ideo non mereor pietatem tuam, non mereor offenſarum remiſſionem. ſed tamen meretur illam ſanguis tuus, meretur crux tua, expoſcit illam miſericordia tua. Peto igitur toto corde veniam, & ſupplex eam expeto, non ſolùm ob meam utilitatem, ſed ob majus tuæ gloriæ incrementum, ut Miſericordia tua eluceſcat

lucescat & cognoscatur ampliùs, & exinde ampliùs glorificeris. Descendisti è cælis ad terram, ut conversareris cum Publicanis & peccatoribus. *Non veni vocare justos, sed peccatores* (a) en, habes ad pedes tuos abjectum ingentem peccatorem, *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum* (b) Domine salva me, ostende in me pietatis tuæ excessum: *Tuus sum ego: salvum me fac.* (c) Desidero, ut palàm fiat, adeò te bonum esse, ut neminem deseras. Recipe hanc perditam oviculam; filium prodigum in Paternum amplexum admitte. O! utinam audire possim cum Magdalena: *Remittuntur tibi peccata. vade in pace.* (d)

Scio mi DEUS, quòd infernum promeritus sim: quia verò Misericordia tua, me liberavit tanto à periculo, tolerando me usque in hanc diem pœnitudinis meæ, non desidero

(a) *Matt. 9. v. 13.* (b) *Ps. 37. v. 5.* (c) *Ps. 118. v. 94.* (d) *Luc. 7. v. 48. & 50.*

dero deinceps vivere, nisì ut plangam peccatum meum, non tam quòd tanta mala per illud ſim commeritus, quàm quòd Tu Illud tanto amore ſuſtinueris, & propter Miſericordiam tuam, quæ mihi ſpem facit veniam conſequendi.

Facio firmiſſimum propoſitum cum gratia tua nunquam ampliùs peccandi, & ab hoc momento fugiendi omnes peccandi occaſiones, præcipuè illas, quæ me vel induxerunt, vel facilè inducere poſſunt ad te offendendum. Propono, quæ mea pleniſſima reſolutio eſt, omnia potiùs amittere, quàm ut te perdam, qui infinitè bonus, & omne bonum es. Cupio pariter divinæ juſtitiæ tuæ pro quovis peccatorum meorum ſatisfacere, & ideo me promptiſſimè offero ad tolerandas omnes pœnas, quas meretur peccator, qualis ego ſum: Ecce *ego in flagella paratus ſum.* (*a*)

De

(*a*) Pſ. 37. v. 18.

De Sacra Communione

§. VIII.

HOc tempore matutino ſuſcipies Sanctiſſimum Altaris Sacramentum inſtar viatici ad feliciter agendum grande illud iter ex terris ad cælum. Proinde imaginare tibi, quòd Angelus Cuſtos tuus tibi dicat, quod Prophetæ Eliæ Angelus à DEO miſſus dixit: *Surge, comede; grandis enim tibi reſtat via.* (a) Coneris itaque pro viribus ſanctiſſimam hanc communionem peragere, acſi foret ultima. Recollige te internè, & conſidera ſequentia puncta.

I. Quis ad te veniat? Chriſtus DEUS, & Homo, infinita ſapientia, infinita potentia, infinita bonitas, tuus Creator, Redemptor tuus, & tuus judex, &c.

II. Ad quem veniat? ad te creaturam tam vilem in ordine naturæ,

 quia

(a) 3. Reg. 19. v. 7.

quia nihil fuisti, & nunc es vas luteum, & immundum; ad te abominabilem in ordine gratiæ, quia toties cor tuum per peccata redditum est magìs horridum, quàm esse possit spelunca serpentum.

III. Quare veniat? tanquam Dominus, ut te gubernet; tanquam Magister, ut te doceat: venit, non ut emolumentum aliquod ipse habeat; sed amore tui, & desideriô salvandi animam tuam: venit, ut quietem adferat conscientiæ tuæ, ut animeris ad confugiendum à DEO irato ad DEUM tibi placatum, & reconciliatum. Venit, ut te roboret contra insultus hostium infernalium, ut possis dicere: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* (a) Venit ad dandum tibi certum æternæ felicitatis pignus. Ità docet Sanctus Thomas: *Futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Promisit enim Christus, *qui man-*

(a) *Ps. 22, v. 4*

manducat hunc panem, vivet in æternum. (a) Et in fidem, ac teſtimonium promiſſionis ſuæ, ſeipſum nobis in pignus reliquit. O quàm igitur opportunum tempus eſt hoc pactum conſummandi, & ſecurum reddendi grande negotium tuæ ſalutis! Ille ipſe, qui poſt paulùm te judicaturus eſt: Ille ipſe, à quo dependet ſententia æternæ felicitatis, vel æternæ infelicitatis; ille, ille venit in domum tuam & intrat in pectus tuum. Ah non ſinas igitur effugere hanc pretioſam occaſionem eum tibi demerendi: accede cum magna fiducia ad illum ſuſcipiendum, & ubi poſtea mors te ſtiterit ad ejus tribunal, exhibebis pignus tibi relictum, dum ipſe veniret ad te. Non habes, quod tunc timeas, quia non poteris excludi à regno æternæ beatitudinis.

(a) *Joan. 6. v. 59.*

Post Sacram Communionem.

INvita omnes creaturas, ad gratias DEO agendas pro beneficio tibi exhibito, & recita canticum: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* (a) Invita omnes potentias animæ tuæ ſæpius repetendo: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intrà me ſunt, nomini ſancto ejus.* (b)

Actus Doloris.

DOminus meus, Redemptor meus, & Judex meus te hìc præſentem profundiſſima humilitate adoro, totóque corde à te veniam peccatorum meorum efflagito, quæ in hanc uſq; diem comiſi contra Divinam Majeſtatem tuam, contra proximum meum, & contra meipſum; cogitationibus, verbis, operibus, omiſſionibus, & præprimis quòd toties

(a) *Dan. 3. v. 57.* (b) *Pſ. 102. v. 1.*

toties abusus fuerim Sanctissimô Eucharistiæ Sacramentô, accedendo tam sæpe ad illud suscipiendum sinè debita reverentia, sinè præparatione, non sat perpurgato corde, & non, ùt par est, virtutibus ornatô animô. Deploro hæc omnia, detestor, & retracto hìc in tua præsentia, deponóque omnem omnino vel minimum affectum erga delicta mea. Doleo, non jam timore mortis, quæ mihi appropinquat, nec metu pœnarum, quæ me post mortem manent; sed solùm, & unicè, quia ego vilissima, & ingratissima creatura te DEUM meum infinitè bonum, infinitè amabilem, infinitè adorabilem offendi. Si dignaris mihi favere adhuc aliquod vitæ spatium, conabor pro viribus culpas præteritas compensare debitis pœnitentiis, & justitiæ tuæ per novam vitam imposterum satisfacere. Supplico, tibi quantum scio, & valeo, per merita pretiosissimi Sanguinis tui,

per dolores amarissimæ passionis tuæ, per zelum animarum, qui te movit, ut è cælo descenderes in hanc terram, quam, ceu domum Zachæi, intrando sanctificâsti dicens: *Hodie salus domui huic facta est,* (a) Similiter dum hoc matutino tempore dignatus es divertere in hospitio animæ, ac corporis mei, concede mihi liberalem peccatorum meorum veniam, & me tua gratia sanctificante reple, méque tibi tam gratum effice, ut merear post mortem meam in te benignum habere judicem: quòd si verò in me tantum dolorem, quantum meorum scelerum enormitas exigit, non comperias; te supplex obtestor, applica mihi meritum doloris & horroris illius, quo tu ipse in horto Gethsemani peccata omnia es detestatus. Peto à te humillimè vel unicam sanguinis tui guttulam, quâ omnes animæ meæ nævos eluam, &

(a) *Luc. 19. v. 9.*

& unicam de tuis lacrymis, ut eâ defectum mearum supplere valeam.

Actus Oblationis.

BEne video, mi DEUS, majora esse beneficia tua, quàm ut misella creatura, qualis ego sum, ea sufficienter cognoscat ; sed quia novi te contentum esse quovis, ùt ùt exili dono, si modò corde syncero detur, in recognitionem beneficii, mihi in sanctissimo corporis tui Sacramento hodie, & toties per vitam meam benignissimè collati, offero tibi animam meam cum omnibus potentiis suis, & corpus cum omnibus sensibus. Quia verò me totum, quantus quantus sum, habeo à liberali dextera tua, & cùm jam advenerit tempus idipsum tibi restituendi, quod concessisti; en, offero me tibi totum quantum, & nimiùm quàm lubenter reddo, cum protestatione, quòd tu sis muneris

hujus verus & abſolutus Dominus. Offero tibi omnes facultates meas, omnes voluptates, converſationes, commoditates, amicitias, occupationes, negotia, & omnes ſpes meas, ſynceriſſimo affectu me univerſis privando, non alium ob finem, quàm ut tibi placeam. Offero tibi pretioſiſſima merita, & preces efficaciſſimas Domini noſtri JESU Chriſti, Beatiſſimæ Virginis, Sanctorum Angelorum, Sanctorum Patronorum meorum, totiúſque Eccleſiæ triumphantis.

Offero tibi omnia bona opera, quæ hucuſque in Eccleſia militante facta ſunt, & deinceps fient, quorum omnium cupio eſſe particeps, tanquam membrum hujus ſancti corporis: & tandem unio has oblationes meas cum iis, quas JESUS, & Maria tibi fecerunt, dum per mortem ſuam ſanctiſſimam ex hac vita migrarent.

Actus Petitionis.

DOmine, cùm me inviſere dignatus ſis, nè non utar occaſione tam favorabili, peto à te gratiam illam, quam ſcis mihi maximè neceſſariam: obſecro amorem tuum da mihi, & poſtquam vitæ meæ termino propinquũ me video, obteſtor te, nè deſeras me. Non Domine, ah non recede à me. Semper conſerva in anima mea lumen vivæ fidei, ſpei, & charitatis, defende me ab inſultibus hoſtis infernalis, qui omnem conatũ ſuum in me exeret: *Sciens, quia modicum tempus habet.* (a) Quando ſpiritum meum vires deficient, ah Domine tunc non derelinquas me! *Illumina oculos meos, nè unquam obdormiam in morte: nè quando dicat inimicus meus: prævalui adverſùs eum.* (b) Sicut dum naſcerer mandâſti bono Angelo, quem meam in cuſtodiam deſtinaveras, ut

(a) *Apoc. 12. v. 12.* (b) *Pſ. 12, v. 4. & 5.*

mihi aſſiſteret in omnibus periculis; ità eidem commendare digneris, ut me protegat in periculorum maximo, quod mors eſt. Deſidero vitam meam finire inter brachia tua, & in tuo Sancto amore; quam ob cauſam ad te recurro, nihil enim ſinè te poſſum: à te id expeto, & propter te, ut gaudeam feliciſſima ſorte videndi te, amandi te, & benedicendi te per totam æternitatem.

VERSUS.

Anima Chriſti ſanctifica me,
Corpus Chriſti ſalva me,
Sanguis Chriſti inebria me,
Aqua lateris Chriſti lava me,
Paſſio Chriſti conforta me.
O bone JESU exaudi me,
Intrà vulnera tua abſconde me,
Nè permittas me ſeparari à te,
Ab hoſte maligno defende me,
In hora mortis meæ voca me,

Et

Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te
in sæcula sæculorum. Amen.

MEDITATIO II.
De Resignatione sui ad Mortem
§. IX.
PUNCTUM I.

I. COnsidera vitæ, quam deseris, brevitatem in comparatione æternitatis, ad quam te accingis. Vixisti fors hucusque viginti, triginta, aut quadraginta annis? & forsan pluribus. O! quàm citò transiêrunt! nunquid videntur tibi evanuisse, instar fumi, umbræ, fulguris? quid jam tibi restat ex tot voluptatibus, honoribus, & deliciis, queis fruitus es per temporis hujus decursum? quid tibi ex illis superest? nihil omnino, præter remor-

ſum conſcientiæ. Jam ad illos tuos viginti, triginta, quadraginta annos, adjice totidem alios: quàm citò adhuc & iſti tranſibunt? & quando ad terminum eorum pervenies, quid remanebit ex iſtis? idem, nec ampliùs, ac quod nunc remanet ex præteritis illis. Mors tibi januam reſerat, per quam ingrediaris ad novam vitam, vitam, quæ finem neſcit, terminum non admittit. Quid refert hìc relinquere viginti, aut triginta annos, quos dubia ſpes vitæ mortalis offert, ſi ibi ingrederis ad poſſeſſionem annorum æternorum?

II. Conſidera quàm laborioſa ſit hæc vita: diutius vivendo, fortaſſis ſubjectus eris ſiniſtris fortunæ caſibus, perſecutionibus, infirmitatibus, diſguſtibus, infamiis, proditionibus, infirmitatibus, aliiſque tam arduis calamitatibus, ut mortem invocaturus ſis, quæ exitum ex illis reſeret. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis*

tis miseriis. (a) Reflecte paulisper mentis oculum in orbem universum: quot non labores, quot non disgustus & dolores, quot non infirmitates, quot non sinistros casus, quot non displicentias & amarores ubique, & in domibus omnium reperies. Si diutius vixeris, quis te securum præstat, quòd non jam hæc, jam illa infelicitas te obruet? habésne privilegium, quô unus tu præ aliis ab hac sorte eximaris? Moreris: ergo non gemes ampliùs in terræ hujus exilio, non eris ampliùs expositus inimicis, melancholiis, infortuniis, morbis, & mille aliis miseriis.

III. Considera, quàm periculosa sit hæc vita: Subduceris moriendo tantis periculis quæ impugnant, & alterant virtutem. Inimici salutis tuæ sunt multi, & sunt potentes; vires è contra tuæ debiles sunt: absque singulari gratia DEI non pote-ris

(a) *Job. 14. v. 1.*

ris eos ſuperare. Mors una eſt, quæ victoriis vitæ tuæ præbet ſecuritatem. Quamdiu vivimus, verſamur in periculo, quæ lucrati ſumus, perdendi. Fors diebus ſingulis DEUM offendis, & vivendo diutius potes illum offendere graviùs. Quot non virtuoſiſſimi quique, ferventiſſimi & prudentiſſimi, qui videbantur eſſe immobiles quædam virtutum columnæ, poſt multos annos piæ, ædificativæ, ſanctæque vitæ in enormia peccata fuerunt prolapſi? Quot non Religioſi, poſt Eximia vitæ ad inſtituti ſui amuſſim conformatæ exempla, eò uſque intepuerunt, ut apoſtataverint, ac æternùm damnati fuerint? Ah! crede, quòd naturæ tuæ nihil ſit tam facile, ac mutari, & quidem mutari in deterius; corrupta enim, ùt eſt, ab originali peccato, pronior eſt ad malum, quàm ad bonum: & nunquid hoc ipſum in te expertus es? quid dicis? éſne hodie melior, quàm fueris an-
nis

nis retrolapſis; an verò ècontra es deterior? Et ſi hoc verum eſt, an non deberes gaudere, quòd egrediaris ex hoc mundo, & vel ſic ſecurus reddaris de non offendendo, nec perdendo deinceps DEO? ſoleris te: deinceps tibi non erit pugnandum, nec intrà nec extra te: eris immunis à tempeſtatibus, quas tam frequentes, tam importunas, tam periculoſas tota die in fundo cordis tui concitant paſſiones tuæ. Ah! qui verè DEUM amat, non deſiderat longas moras trahere in ſtatu tot caſibus ſubjecto, à quibus, ut ſe præſervet, ingenti violentia opus eſt.

IV. Conſidera, quòd mors tibi non debeat ideo accidere difficilior; quia te adactum vides ad deſerendam familiam tuam adhuc immaturam; filios vel nepotes adhuc puſillos, quibus de competentibus mediis, nondum ad votum provideris; filias adhuc innuptas, & fors tam

tam has, quàm illos destitutos fulcrô amicorum, qui eorum causas tueantur; aut absque cognatis, qui humeros suos oneri ipsis impendenti supponant: fors orbos patrimoniô, quô vitæ suæ subsidia parent? Certus esto, ubi ad paradisum perveneris, quod sperare audes ac debes, si modò ad hoc te, ùt par est, compares; ibi meliore successu, & plus auxilii tuis impetrabis à DEO, quàm vivens in terra per labores, & industrias tuas valueris lucrari. Persuadeas tibi velim, & quidem firmissimè, quòd tu filiorum tuorum tam bene Pater non sis, quemadmodum DEUS est, qui paternam providentiam erga omnes & singulos exercet. Quamvis filios tuos, aliósque charos deseras, nè cogites, quòd DEUS illos deserat. Ille non deseret, confide in illo plùs, quàm in temetipsô. Ille scit necessitates omnium, & potest providere singulis, quare plùs in emolumentum

eorum

eorum facturum spera, quàm tu scias, possis, aut velles facere. Non æstimabis te, spero, magìs domui tuæ, aut muneri cuicunque necessarium, quàm S. Petrus, & S. Paulus fuerint Ecclesiæ adhuc pusillæ, ac infanti, millèque afflictionibus, & persecutionibus pressæ? DEUS tamen & hunc, & illum eodem die ad vitam alteram evocavit. Et quemadmodum sinè illis Ecclesia non perivit: ità tibi persuadeas, velim, quòd sinè te non interibit domus tua, nec munus tuum defectum patietur. Pro certo teneas, quòd si res justas, & convenientes speremus, & hæ desiderentur viva fide, absque ulla hæsitatione, spes Christiana nunquam defraudetur. *Spes non confundit.* (a) Ità fidejubet Apostolus. Pete igitur à DEO (sed spe viva & firma, quòd exaudieris) ut providere dignetur filiis tuis, & sanguine, vel amicitiâ junctis, tanquam primus, & pri-

(a) *ad Rom. 5. v. 5.*

primarius Tutor in eorum necessitatibus, & omnem curam tui, ac tuorum in DEUM depone. *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* (a)

PUNCTUM II.

I. COnsidera, quòd nobis omnibus & singulis moriendum sit. hæc est communis lex, à qua nullus exemptus est. omnes hucusque Divinæ justitiæ tributum istud solverunt, & quotquot tecum vivunt, aut post te sunt victuri, continuabunt illud solvere. *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?* (b) Christus ipse, qui tamen mundus erat ab omni culpa, & Beatissima Virgo Mater ejus, quæ præservata fuit ab omni, etiam originali labe, subjecerunt se huic legi. Si ergo quoddam doloris cujusque levamen est socios habuisse in ejus tolerantia, quantò magis amarorem mor-

tis

(a) Ps. 54. v. 23. (b) Ps. 88. v. 49.

tis temperet, quòd ſocios in ea habeamus omnes homines, quicunque fuerunt, ſunt, & erunt.

Quantumvis in poteſtate tua non ſit mori, vel non mori, cùm per humanæ naturæ conditionem neceſſariò morti ſubjaceas; nihilominus tamen ſuſcipiet DEUS ceu gratuitum munus, ùt ſi à te ſolo proficiſceretur ſacrificium, quod illi offerre cenſeberis, ſi lubenter mortem acceptes, & te illi offeras ad inſtar victimæ immolandæ in odorem beneplaciti ſuæ divinæ Majeſtatis. Fors DEO es debitor multarum pœnarum peccatis tuis commeritarum? Et fors locô ſatisfactionis per exercitium virtutum pro illis præſtandæ, eas novorum delictorum pondere aggravâſti? quis ſcit, quot annis à juſtitia vindicativa adſtringendus ſis ad exolutionem in purgatorii horrendo carcere? an non ſummopere gauderes, ſi ante egreſſum ex hac vita ſatisfacere poſſes cum ſecuritate,

ritate, facilitate, & sinè incommoditate? quis de hoc dubitet? scias igitur, quamvis mors sit tributum, ad quod inevitabili necessitate adstringeris, solvendo tamen illud cum magna animi promptitudine in ordine ad præstandum divinæ justitiæ homagium, & in satisfactionem pro tuis delictis; DEUS acceptat illam, & declarat suæ justitiæ per hoc medium esse à te satisfactum, si non ex toto, certè ex parte.

Neque solùm per hanc resignationem securus redderis de satisfactione quoad pœnam, sed insuper auges tibi cumulum meritorum. Si DEUS à te exigeret, ut in testimonium fidei vitam ipsi consecres, vel inter flammas, vel cervicem submittendo securi, ùt Sancti Martyres fecerunt; essesne obligatus ad obediendum illi? nunquid sorti huic te sponte ingereres, & felicissimam reputares occasionem amore illius sanguinem profundendi in fidei propugna-

pugnationem ? quis dubitat? atqui hanc ipſam promptitudinem à te ſibi expoſcit in teſtimonium obedientiæ, quam ùt Chriſtianus profiteris: ergo offer illam generoſô animô, & acquires grande meritum, DEO vitam tuam donando, ceu rem, quâ pretioſiorem non habes. Hoc pretium in brevi tempore multos annos ſupplet. Bonus latro mortuus eſt ùt latro, & tamen meritus eſt mori ſimul ùt martyr. Quomodo iſtud? quia fecit ex neceſſitate virtutem, & DEO vitam ſuam obtulit lubenter, quam juſtitia vindicativa ſibi aliunde ab illo exigebat. *Si pœna cœperat in latrone, novo genere in Martyre conſummatur.* (*a*)

II. Conſidera, quòd omnia, quæ DEUS fecit, bene facta ſint; omnia, quæ ordinat, bene ordinata: quia omnia ordinata ſunt à ſumma ſapientia, & infinita bonitate, quæ meliùs, quàm tu, cognoſcit, quid condu-

cat

(*a*) *S. Aug. Serm. 12. de Temp.*

cat ad ſuam gloriam , & tuum emolumentum. Agnoſcis haud dubiè,& bene intelligis, quòd mors tua cum omnibus circumſtantiis ſuis, tam quoad locum,& tempus, quàm quoad qualitatem,& genus, non ſit ex parte DEI caſus fortuitus ; ſi enim Euangelium aſſeverat, quòd nec folium de arbore cadat ſinè prævia notitia, & voluntate DEI ; quantô magìs tibi certum eſſe debet, quòd mors tua non eveniat, inſciô DEO & abſque ejus voluntate : igitur mortis nuntium à te excipiendum eſt, ceu vox cælitus allapſa, quæ te vocat: proinde neceſſe eſt, ut te ſubmittas voluntati DEI, tanquam ſupremi Domini tui, quod ipſum à nobis exigit: *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis, ut, cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei,* (a) Venit autem quando nos per ægritudinem monet, vicinam adeſſe mortem ; & tu

(a) *Luc. 12 v. 36.*

tu confestim aperis illi, si mortem promptè acceptas. Imitare Salvatorem tuum, qui æterni Patris voluntati se subjecit, in ætatis flore mortem dolorosissimam acceptando, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Observa, quòd filius DEI in morte sua non consideraverit malitiam judæorum, nec injustitiam Pilati, nec proditoriam traditionem Judæ, neque crudelitatem Carnificum; sed dispositionem, & voluntatem æterni Patris: ideo ad S. Petrum dixit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* (*a*) Illius ad exemplum mortem excipe, non ùt provenientem ex infirmitate, aut casu accidentali, aut ex violenta passione, & malitia hominum; sed ùt immissam à manu DEI. sic eam DEUS vult à te acceptari cum persuasione, quòd hæc, & talis mors non adveniat, nisì ex DEI ordinatione.

Mors

(*a*) *Joan.* 18. *v.* 11.

Mors, quæ hic, & nunc te occupat, est divina circa te dispositio, sed cùm te illius voluntati conformas, id efficis, ut divina electio sit etiam electio tua, & quidem perfectior, quàm si tu ipse mortem deliberatè elegisses. Nam, cùm tu quidpiam eligis, facis tuam voluntatem; at quando hanc in DEUM resignas, facis voluntatem DEI, qui actus est longè perfectior. Quo sensu locutus est David, cùm dixit: *mandata tua elegi.* Quia obediebat DEO, voluntatem suam cum divina conformando, & in virtute adeò promptæ conformitatis, illud ipsum, quod DEUS elegerat, elegit etiam David. Eodem animo tu esse videris, aut certò esse deberes, cùm oras quotidie, & sæpius: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Quòd si postea divino ejus decreto, quoad modum, & tempus mortis, prout ipsi de eo statuere placuit, te non conformes; quomodo credi potest, eo, quo par est,

sensu

ſenſu toties à te repetita fuiſſe ſupradicta verba? nunquid cenſereris cum DEO minùs seriò egiſſe?

III. Conſidera, Quòd filius DEI amore tui deſcenderit de Cælis, & in Sanctiſſimo Altaris Sacramento tecum commoretur. Ah! cur non tu viciſſim deſideras ad illum aſcendere, cur cum illo eſſe non ſuſpiras? cur illum videre ſinè omni velo, facie ad faciem, & poſſidere non anhelas? Chriſtus tibi vitam ſuam in cruce donavit; da igitur vitam pro vita, amorem pro amore: ſic jubet gratitudo. Qui amat, amato præſens eſſe peroptat: tu amare poſſis JESUM, & ab illo abſens indifferentibus circa illum deſideriis agi? Non pauci Sanctorum præ amoris divini dulci violentia mortui ſunt: tepiditas tua fors impedit, nè gratia tam nobili dignus efficiaris? compatior tibi. Noli tamen animis concidere, ſupereſt enim campus hoc damnum reſarciendi alio actu

divinæ Majestati perquam grato. Quis ille? mori ex motivo amoris, citiùs velle ad cælum ire, ut valeas DEUM perfectè amare. Lubenter moriendo testatum DEO facis amorem, quo erga illum ferris. non est signum majus tuæ in DEUM charitatis, quàm istud ipsum; Nam *majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (*a*) Ecce! mors tibi occasionem præbet, exercendi insignem ac Heroicum actum dilectionis DEI, qualem per totum annorum tuorum cursum non exercuisti; siquidem omne illud, quod unquam obtulisti DEO, vel quô te amore ejus privâsti, longè minus est, quàm esse tuum, & vita, quam illi donas, & quâ te amore ipsius exspolias, mortem de manu ipsius promptè suscipiendo. Et hoc est, quod Divum Joannem Chrysostomum movit ut diceret: quòd, si optionem à DEO ha-

(*a*) *Joan. 15. v. 13.*

haberet, ut esset vel Angelus, vel homo; amplecteretur naturam humanam præ Angelica, quia sic aptus esset, ut possit mori pro DEO. Pondera, quæso, quàm dejecti animi hæc esset nota, si ità fores huic miseræ lachrymarum valli affectus, ut si arbitrio tuo relinqueretur optio, vel hodie DEUM intuendi in paradiso, vel in terra hac remanendi; tu tamen eligeres in hoc tenebroso antro vivere, præ paradiso, & DEO.

IV. Considera, quòd DEUS dando tibi esse ac vitam in hoc mundo te constituerit, tanquam in loco probationis; & tot annos vitæ tuæ, quos nactus es, tibi eum in finem indulserit, ut tempus tibi daret acquirendi merita, per quæ reddaris aptus ad æternam beatitudinem. En creationis tuæ finem. Quid si ergo DEUS jam vellet huic probationi terminum imponere? certò deberes illi gratias agere, persua-

ſumque habere, quòd ad ſalutis tuæ meritum ſufficiat hæc proba, quæ DEI ipſius judiciô ſufficiens eſt. Nunquid tibi magìs expedit, & magìs prodeſt tunc mori, cùm tu deſideras? quis meliùs dignoſcit tempus, quô te mori juvat ad ſalutem, DEUS; an tu? haud dubiè DEUS. Si ergo DEUS modò te vult mori, quid prodeſt cum exigua in divinam voluntatem reſignatione morā implorare, donec tibi viſum fuerit opportunū? DEUS te ex hac in alteram vitā evocat, quando id tibi maximè proficuū cognoſcit, de hoc ſecurū te reddit amor Creatoris tui, qui te amat tanquam ſuam creaturam, quam fecit ad imaginem ſuam. Securum te eſſe jubet amor DEI Patris, & quidem Patris tui, qui te amat ùt filium, in Chriſto adoptatum. ſecurum te præſtat ſuaviſſima ſua providentia, quam contemplans Chryſoſtomus inquit: *Boni tunc decedunt ex hac vita, cùm meliores ſunt; mali,*

mali, cùm minùs mali, quàm futuri essent, si adhuc viverent. Quòd si æstimas te alio tempore meliùs paratum fore, DEUS forsan cognoscit, id non fore. Tu errare potes, DEUS autem nulli errori est obnoxius. Vides proinde, quòd longè securius sit judicium tuum submittere, ac conformare judicio DEI, & acceptare mortem eo tempore, quô ipse illam immittit. Ecquod amabò habes motivum desiderandi, ut vitæ tuæ confinia ulteriùs extendantur? fors quia videtur tibi, quòd virtutibus tuis, pœnitentiâ, & zelô poteris multò plùs prodesse proximo, & magìs glorificare DEUM? Ah non sinas te lactari his blanditiis. DEUS fuit ab æterno sinè te: tu solùm DEO redde per promptam mortis acceptationem hunc honorem, & fac inclarescere, quòd DEUS te non indigeat, nec ad suam gloriam, nec ad aliud quodcunque emolumentum: certè non ad suum,

quia habet innumerum aliarum personarum numerum, quæ illi meliùs, quàm tu serviunt: non etiam ad emolumentum aliorum, quia habet potestatem producendi milliones creaturarum, quæ multò perfectiùs, & cum majore gustu, majoréque merito illi intrà unum diem servituræ sunt, quàm tu illi serviveris per complures annos. Videtur tibi saltèm, quòd longior vita tibi profutura sit ad ampliora meritorum augmenta? videtur, quòd cum illustrationibus, quibus nunc gaudes, futurus sis imposterum perfectior, & sanctior, exerciturúsque multa opera virtutum Christianarum? sed dum id videtur audi bona nova, quæ refert S. Augustinus: locô istorum omnium offer DEO vitam, & voluntatem tuam, resigna te plenè in divinum beneplacitum, promptè accepta mortem de manu DEI; & es perfectus: hac enim animi

nimi comparatione nihil gratius DEO potes offerre. *Frustrà dicunt quidam, ideo se nolle mori, ut profectus faciant: cùm ipse profectus eorum in eo profectus sit, ut mori velint: proinde, quod volunt, ut perfecti sint: velint, & perfecti sunt.* (a)

PUNCTUM III.

I. COnsidera, quòd mori non sit aliud, quàm animam separari à corpore. jam quæro, credisne viva fide, quòd illi, qui moritur in gratia DEI, præparatum sit regnum cælestis gloriæ? ità est. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo* (b) mors igitur non tam debet nobis esse interriculamentum, quàm potiùs propensionis nostræ allectamentum. Cùm primùm Clausis oculis terram hanc tam vilem, tam humilem, & tam miserabilem aspicere desieris,

(a) *S. August. Lect. in Matth. quæst.* 17.
(b) *Apoc.* 3. *v.* 21.

aperies oculos animæ ad cælum intuendum. Cogita, quantô non afficereris ſolatiô, ſi cras conſequereris totius terrarum Orbis Dominium? ſed quid hoc eſt: Cælum beatus ingrediens, conſcendes thronum ad cujus amplitudinem comparata terra punctum eſt, ad cujus beatitudinem collata terræ hujus bona omnia, miſeriæ ſunt: & hoc tibi ſit terroris argumentum? Ah minimè! quinimò deſideranda potiùs mors eſt, quæ aditum tibi reſerat ad tanti boni poſſeſſionem. Diſcedis hinc ad recipiendam mercedem laborum tuorum, virtutum, humilitatis, & patientiæ. Terminus cui annexa eſt corona non poteſt non eſſe gratus. Qui currit pro bravio ſtadii ſui terminum attingere deſiderat.

II. Conſidera, quòd omnia illa, quæ in terris te movere poſſunt ad vitæ longioris deſiderium, cum infinitè majore emolumento poſſeſſurus

rus ſis in Paradiſo. Es in procinctu ad capiendam poſſeſſionem felicitatis, quæ pleniſſimè cor tuum exatiabit, quod ipſum firmat divina promiſſio: *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* (a) Fuitne hucuſque in terris exatiata vaſtitas deſideriorum humani cordis? nunquam. Nullus unquam Monarcha dignitatibus, voluptatibus, & divitiis mundi plenè contentus fuit: DEUS igitur, qui repleturum ſe promittit cor tuum, & quietaturum illud, promittit te locandum in ſtatu incomparabiliter feliciore, quàm ille fuerit, quô unquam gaviſi ſunt fortunatiſſimi quique, ac potentiſſimi orbis Monarchæ. Igitur promittit tibi aliquid, quod exuperat omnes theſauros, omnem gloriam, & omnes delicias, quibus hucuſque gaviſus eſt mundus. Ità eſt, ità eſſe intellexit David cùm dixit: *Tunc ſatiabor, cum apparuerit gloria tua.* (b) Et tu times? tu moras

(a) Pſ. 102. v. 5. (b) Pſ. 16. v. 15.

moras nectis, ad tantam felicitatem vocatus? tu illibenter mortem admittis, quæ clavim tibi ad tantas opes porrigit? Cælum suspice, dicebat Mater ad S. Symphorianũ in medio tormentorum pro martyrii laurea certantem: *Nate, Nate, cælum suspice, tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.* (*a*) Possidebis bonum ab omni malo depuratum: *Neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* (*b*) Bonum summum, bonum, quod complectitur omne bonum. *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*c*) Quia omne illud in DEO videbis, quidquid intellectus humanus concipere potest, & voluntas desiderare. Eris DEO ipsô beatus, & ipsa beatitudo DEI erit beatitudo tua: *Replebimur in bonis domûs tuæ; sed quibus bonis, vel qualibus. Dic nobis tu, qui præparas, quid præparâsti? Ego ero merces tua magna nimis.* (*a*) Eris beatus

(*a*) *in Lect. Brev. 22. Aug. Lect. 9.* (*b*) *Apoc. 21. v. 4.* (*c*) *Ps. 16. v. 15.* (*d*) *S. Bern.*

beatus beatitudine DEI. Ut quis beatus sit, non sufficit bonum, quô beetur, possidere; sed debet illô etiam frui: ut autem eô fruatur, requiritur, ut illud cognoscat, amet, ac gustet. En DEUS visus, amatus, & deliciosissimè possessus erit tua beatitudo. Videbis DEUM sinè metu aberrandi ab illo; amabis absque formidine illum offendendi: frueris illo cum securitate nunquam illum perdendi, & cum certitudine, quòd nunquam tædebit eô perfrui. *Ipse enim ibi est finis desideriorum nostrorum, qui sinè fine videbitur, sinè fastidio amabitur, sinè fatigatione in æternum laudabitur.* (a)

III. Considera, quòd mors nunquam terribiliorem larvam vultu præsetulerit, atque dum in horto Gethsemani se objecit Salvatori nostro, qui eam jam vicinam intuendo, ùt erat, crudelissimam per inimicorum feritatem, intolerabilem

(a) *S. August. in Ps. 62.*

lem per infamiam confusionum: *Cœpit pavere, & tædere. Et ait illis tristis est anima mea usque ad mortem.* (a) tunc Angelus è cælis descendit, ut mæstum consolaretur; sed quodnam motivum adduxerit viribus restaurandis aptum? recenset illud S. Apostolus Paulus: *Propositô sibi gaudiô sustinuit crucem confusione contempta.* (b) Quod S. Thomas sic interpretatur: *Propositô sibi gaudiô æternæ vitæ pro præmio.* Cæleste præmium vivaciter repræsentatum erat motivum sustinendi crucem, contemnendi confusionem. Consideratio gloriæ non essentialis (hâc enim beata Christi anima jam à primo conceptionis instanti fruebatur) sed accidentalis; nimirum exaltationis, & honoris qui illi in cælis pro præmio parabatur. Cur S. Stephanus mortem expertus est tam dulcem in lapideæ tempestatis medio? quia scilicet moriens ante oculos habuit paradisum:

Ecce

(a) *Marc.14. v. 33. & 34.* (b) *Hebr. 12. v. 2.*

Ecce video Cælos apertos (*a*) Cur mors tam ſuavis accidit S. Thereſiæ, ut dicere audita ſit moriens: *ego morior quia non morior?* cur tam volupis Eruditiſſimo Suarezio, ut eruperit in vocalia hæc gaudia: *Non putabam eſſe tam dulce mori?* cur, inquam, nisì quòd reſpexerint ad gloriam ſibi in Cælis præparatam? Hoc & tuum ſit in morte ſolatium: quòd advenerit felix momentum, quô tibi datur intrare in poſſeſſionem felicitatis, quæ ſumma eſt; ſi ſpectes gaudia ejus: infinita; ſi magnitudinem: æterna; ſi durationem. quidni igitur & tu dicas cum Davide: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te DEUS.* (*b*) Sed replicas; & ego lubenter ex hac lachrymarum valle diſcedam, ut ad paradiſum proficiſcar: ſed quis me ſecurum reddit, quòd ad illum perveniam? quis ſcit, utrum ſalvus fiam? macte animis! interim confide, in

(*a*) *Act. 7. v. 55.* (*b*) *Pſ. 41. v. 2.*

in meditatione tertia intelliges firma ſpei hujus fundamenta.

ORATIO
Poſt ſecundam Meditationem.

EXperior, mi DEUS, quòd natura mori horreat; accepto tamen lubenter debitum iſtud, & offero illud Divinæ Majeſtati tuæ, in obſequii mei tributum. Recognoſco, o DEUS, te vitæ meæ Dominum, & tota Voluntate tibi reſtituo, quod à te accepi. Non nisì quod tuum eſt repetis, cùm vitam â me exigis. Gratias tibi ago, quòd eam tot annis mihi concedere dignatus ſis.

Proteſtor coram Divina Majeſtate tua, quòd, ſi per me ſtaret, mori vel non mori, & ſi ſcirem è tuo beneplacito eſſe, ut moriar; ego ipſe obviàm irem morti, & vitam meam in ſacrificium ſpontaneum

tibi

tibi offerrem ceu rem, quam habeo pretiosissimam: *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine (a)*

Non est, quod me alliciat ad desiderium vitæ longioris, prætterquam ut tibi, Domine, diutiùs & fideliùs serviam: verùm quia scio, quòd me opus non habeas: *DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (*b*) Gaudeo de hac tua felicitate, & magnitudine, ac supplico, dignare hoc meum desiderium suscipere pro effectu. Faciet mors magnam illam animæ à corpore meo separationem: accepto illam, mi DEUS, & accepto in pœnam malitiosæ illius unionis, qua ambo in tui offensam conspirârunt. Adferet privationem omnium quinque sensuum meorum: accepto illam in pœnam per eos promeritam, quòd totidem fenestræ fuerint, per quas intravit in animam mors peccati. Inducet immobilem corporis rigorem:

(*a*) *Ps. 53. v. 8.* (*b*) *Ps. 15. v. 2.*

rem : accepto illum in pœnam tot paſſuum, geſtuum, & motuum quos fecit tibi, & hominibus injurios. Mors corpus meum efficiet eſcam vermium, in pulverem reducet ac cinerem : accepto hanc reſolutionem in pœnam iniquiſſimæ complacentiæ, quam ex faſtu & ſuperbia mea deſumpſi. Accepto divitiarum, & bonorum temporalium jacturam in pœnam inordinati affectûs, quô eis adhæſi ; abusûs, quô illa malè impendi. Accepto avulſionem à cognatis, amicis, & ab omni eo, cui afficiebar in terris, in ſatisfactionem pro nimio amore, quô erga eos ferebar. accepto oblivionem, quæ me poſt mortem ex hominum memoria delebit, in caſtigationem vani deſiderii, quô in vita æſtimari, laudari ac in aliorum memoria perennare ambiebam. Accepto denique mortem, quia hæc tandem peccatis meis finem imponit, & ſicut de hoc ipſo gaudeo, ità in

in infinita Misericordia tua confido, quòd, cùm te offendere desino, ab hinc incepturus sim te amare ità, ut nunquam à te possim separari: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam. quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* (*a*)

O dilectissime Redemptor tu amore mei factus es mortis victima: & ùt ùt mors dolorosissimis aucta circumstantiis se tibi obtulerit, tu nihilominus eam es amplexus, ut mortem meam efficeres dulcem, peccatorum veniam mihi promerendo: quid minus in vicem gratitudinis pro tanto amore tibi offerre valeo, quàm promptissimam voluntatem moriendi? morior itaque amore tui & morior præ desiderio te revelata facie videndi, & perfectissimè amandi. O mi DEUS! *amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.* (*b*)

LE-

(*a*) *Ps. 4. v. 9. & 10.* (*b*) *S. Franc. Assis.*

LECTIO

Pro tempore meridiano de Neceſſitate, ac methodo faciendi teſtamentum.

§. X.

EST recepta inter fideles conſuetudo, ut dum morti appropinquant, teſtamentum condant, vel priùs conditum, revideant, & recognoſcant. Pari ratione tu, qui hodie te geris adinſtar moribundi, & ad mortem comparas, acſi ultimus vitæ dies tibi decurreret, non debes negligere opus tam neceſſarium: quamobrem te obteſtor, nè tibi blandiaris dicendo, faciam illud ſuo tempore, ſed ponderes motiva, media examines, quibus illud quàm optimè perficias. Habes, nî fallor, perſuaſiſſimum, quòd morti poſſis ſubjici, vel ab accidente improviſò natæ, vel ortæ à morbo violento,

qui

qui vel facultatem rationabiliter agendi tollat, vel minuat: consequenter si differs rerum tuarum dispositionem, obnoxius es probabili periculo sinè testamento decedendi, qua in re si modò prospicias, id commodi præprimis habes, quòd de rebus tuis securè ac circumspectè disponere possis. Sunt non pauci, qui animô concipiunt pulcherrimam facultatum suarum repartitionem, quarum unam portionem in cultum divinum, & pro suffragiis animæ suæ persolvendis, & in alias pias causas destinant, partem aliam præmiandis suorum famulorum fidelibus obsequiis designant: sed hanc ultimæ voluntatis suæ declarationem, dum ad ipsum mortis punctum differunt, præconceptam intentionem suam defraudant; siquidem improvisò morientes, bene conceptam ideam in alteram vitam secum asportant; substantiam verò suam relinquunt litibus dilacerandam,

dam, & prætendentibus pessimè tractandam. quod totum aptè prædixit S. Basilius: *atramentô, & tabulis pulchra opera, & commendanda gerere studes: sed quis exitûs tui tempus nuntiabit? quis de mortis genere sponsor? quot vidimus repentinò, ac vi, casûve extingui?*

Tu desideras, & es obligatus impedire discordias inter hæredes tuos, & pacem domui tuæ relinquere Christi exemplô, qui nobis instar legati pacem reliquit: *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* (*a*) teneris prospicere famæ, ac saluti tuæ; Dum autem quis moritur sinè testamento, ordinariè aperitur campus multarum dissensionum, amaritudinum, & non paucarum injustitiarum, aliarúmque inconvenientiarum, quæ sæpenumero si non in ruinam, certè in damnum familiæ redundant, quorum omnium malorum origo es, cùm rerum tuarum temporalium coordinatam dispositionem

(*a*) *Joan.* 14. *v.* 27.

ſpoſitionem non alia ex cauſa differs, quàm ex pura negligentia, poſtquam tamen ſcis, quòd poſſis factam diſpoſitionem ad lubitum tuum variare, libérque ſis ad ſemper adjungendum pro beneplacito tuo codicillum.

Si nunc teſtamentum condas, non tantùm à te removes dubium metúmque, nè non fortaſſis inteſtatus obeas, ſed inſuper ſecurus es, quòd illud bene, liberè, & ex prudenti judicio condideris, qualiter te illud in agone facturum ſperare non potes, ubi homo multorum non recordatur, de quibus voluiſſet, & debuiſſet diſponere, & facillimè adjungit, vel omittit aliquam circumſtantiam, quæ poſſit eſſe pomum diſcordiæ inter hæredes. Res properanter factæ non ſortiuntur bonum exitum, hinc etiam Plato nulla eſſe voluit teſtamenta in ultimis vitæ confiniis facta, cauſam reddens, quia homo, dum morti vicinus

nus eſt, non ampliùs eſt ille, qui priùs fuerat, ſed quodam̃odo medius homo, & quidem parte ſui deteriore. Dixi autem, quòd nunc, cùm vales, teſtamentum condens cum majore libertate illud condas; ſiquidem ſi id differas ad ultimos vitæ dies, & fors ſuprema momenta, utique teſtamentum facies, non prout tibi placet, & ſicut juſtitia exigit; ſed ſicut aliis placebit, & ſicut prætendent eorũ cupidæ paſſiones. Tunc morbô gravatus, doloribus oppreſſus, tædiô & anguſtiis affectus, opis alienæ indigus, & ſuccursûs alieni, permittes te regi, & gubernari à circumſtantibus, à quibus in omnibus dependebis. Ille minis exterrendo, iſte adulationibus blandiendo, Ille aſtutis rationibus, iſte falſâ pietate te inducet ad faciendam diſpoſitionem rectiſſimis intentionibus priùs conceptis, omnino contrariam, juſtæque obligationi tuæ repugnantem. Quamobrem conſilium Sancti Au-

guſtini

gustini]sequere. *Fac testamentum, dum sanus es, dum tuus es; nam si expectaveris infirmitatem, omnino minis, & blandimentis duceris quò tu non vis.* (a)

Si in vita, & sanitate expediveris te à curis rerum temporalium tempestivè de illis disponendo, nihil omnino arduum videbitur animæ tuæ, iisdem spoliari in morte; nec erit, quod tunc cogitationes tuas distrahat, sed poteris illas omnes unicè convertere ad ponderosissimum negotium æternæ salutis. Infirmitatis tempore, nè terreant ac pusillanimem te reddant, nihil de testamento loquentur domestici, sed primò cum morbi vis eò usque increverit, ut actum de vita censeatur. Et tibi videtur tunc tempus esse intendendi negotio temporali, tam tædioso, tantæ solicitudini, & tot disgustibus obnoxio? tempus mortis ex asse tribuendum est animæ, ac æternitati. Quando Moyses

(a) *S. August. Serm. 45.*

ſes aſcendit montem Hor, ſecúmque eò deduxit fratrem ſuum Aaronem, & Eleazarum ſuum nepotem, præcepit ei DEUS, ut ibidem ſacerdotali habitu ſpoliaret Aaronem, illóque indueret Eleazarum ejus filium: *Cúmque nudaveris Patrem veſte ua, indues eâ Eleazarum filium Ejus: Aaron colligetur, & morietur ibi.* (a) Quod mirêre: Aaron adhuc gaudebat perfecta ſanitate, & tamen ſubitò coactus fuit deponere ornatum ſacerdotalem. Et cur non jubetur eô ſe ſpoliare manu propria? cur ipſe illô non veſtit filium? En rationem in promptu: *morietur ibi.* Scit ibi moriendum ſibi eſſe, & ideo tempus opportunum non eſt, ut Pater ſe occupet ornatu, & locupletatione filiorum in transferendis ad eos penſionibus, & honoribus ſuis: alteri hæ actiones conveniunt, & exequitur eas Moyſes, quandoquidem Aaron ad alteram vitam

(a) *Num.* 20. *v.* 26.

tam evocatus oblivisci debet omnium aliarum rerum, & solummodo se se impendere præparationi ad mortem, & negotio animæ. Eheu! quot non se occupant pretiosissimo illo tempore solicitudine providendi uxori, & prolibus. O infelices! consumunt in alienam consolationem tempus illud aureum, quod totum quantum deberent expendere in securitatem salutis propriæ, & in lucrum ac meritum æternæ felicitatis.

Quod verò methodum conficiendi testamentum attinet, debent illius ordinationi assistere individuæ comites: prudentia, justitia, & misericordia. *Dispone domui tuæ*, dixit DEUS ad Ezechiam, & in hoc omnibus testamentum facturis. *Dispone*, id est cum debito ordine, & prudentia illud omnium primò expediendo, quod restitutioni obnoxium est (uti sunt debita, & credita) cum declaratione nominis ac

 cogno-

cognominis cujusque, sicut & mercedem domesticis convenientem. Secundô locô veniunt, quæ concernunt bonum animæ, quæ spectant ad funeralia, & sepulturam absque inutili dispendio, quod fieri solet in apparentem pompam, & superfluam magnificentiam, quæ magis servit vanitati vivorum, quàm solatio defunctorum. *Quid sibi vult* (quærit Chrysostomus) *superfluus ille, & inutilis circa funera sumptus? qui magnum quidem funerantibus damnum, defuncto verò nullum attulit emolumentum?* (a) Diligenter tamen cavendum est, nè sub pallio virtutis, condatur sordities parcitatis, quæ sumptus statui tuo competentes turpiter subtrahat. Detur suus personæ decori conveniens respectus, simul etiam pietatis religioni tribuatur, quod suum est. Tandem non est agendum cum impetu, aut passione, totum scribatur ac ordinetur, cum tali verborum sen-

(a) *S. Chrysost. tom. 6. hom. de morte.*

ſententiarúmque claritate, ut nullum de voluntate tua relinquatur dubium, nec litis, diſputationis, lamentationum aut murmurum occaſio: quæ ut evitentur certiùs, cum peritis conſilium eſt deſuper ineundum.

Juſtitiæ lex vult, ut primô locô ea reſpicias, quæ ſunt præcepti; poſt hæc, quæ ſunt conſilii. Hinc ſi poſſibile eſt, in præſenti ſatisfactio præſtanda eſt debitoribus. quòd ſi verò hæc ſtatim præſtari non poſſit, de his ipſis debitis facienda eſt mentio in teſtamento cum hæredum obligatione ad ea exolvenda. Reſtituantur res malè partæ, ſatisfiat omnibus obligationibus, cujuſcunque nominis ſint, ſive ex voto, ſive damno illato, ſive ex mercede debita, ſive ex legato relicto. Inſtituantur facultatum tuarum hæredes ii, ad quos rationabili ordine pervenire debent. De illis verò bonis, quæ ab arbitrio tuo pendent:

 pro-

provideatur I. Gloriæ Divinæ. II. Succurratur necessitatibus proximi, idque agatur ex consilio pii viri. Conformiter ad hos fines applicandæ sunt etiam superfluæ divitiæ. Et si hæc egeris in vita, erit dispositio tua magis meritoria, & satisfactoria.

Misericordia sequatur ordinem charitatis: hinc I. conjiciendi sunt oculi in sanguine junctos, & domesticos, eósque propinquiores; deinde ad externos, & remotiores. II. Ad benefactores. Sed aliorum recordando, nè obliviscaris tuimetipsius assignando eleemosynas, & Missæ sacrificia, præprimis pro die obitûs tui. Non possum hìc omittere monitum perutile: nimirum, ut quid quid tu ipse potes executioni dare, non committas aliis per testamentum; res enim pleræque meliùs aguntur à nobis, quàm ab aliis, quibus committuntur. Nam si nos ipsi negligentes sumus in nostris,

ſtris, quomodo alii in iiſdem accurandis magìs ſoliciti erunt? Hæredes, quantò firmiùs perſuaſum tenent, omnia, quæ reliquiſti, ad ſe ſpectare, & ſua eſſe; tantò minùs (ùt paſſim evenit) reſtituunt ea, & ſatisfaciunt iis, quæ reſtitui, & quibus ſatisfieri per eos voluiſti, & ideo gemunt tot animæ in pœnis purgatorii. Legi aliquando de Parente quodam, qui magnas divitias reliquit filiis per teſtamentum, rogavítque ſingulos, ut quod dictaret filialis pietas, quiſque curaret in ſolatium animæ ejus poſt mortem. Primus copioſas miſſas promiſit, ſecundus multas eleemoſynas, tertius dixit: *Nihil tibi promitto.* Si tu ipſe, qui univerſam ſubſtantiam tuam habes in manibus, nihil expendis, & conſtituis in bonum animæ tuæ; quid boni, qualem de te ſolicitudinem tibi ſpondere audes à filiis tuis, qui unam duntaxat ejus partem habituri ſunt? quid amabò diceres de illo

debitore, qui habens unde ſatisfaciat, pateretur ſe à creditoribus conjici in vincula; ſpe fretus, quòd filii ſui expenſis promptè ſubminiſtratis obtenturi ſint ipſi libertatem? ſapientius eſt ſancti Gregorii Magni conſilium. *Tutior eſt via, ut bonum, quòd quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe, dum vivit, per ſe: beatiùs quippe eſt liberum exire, quàm per vincula libertatem expectare.* (a) Ità eſt: melius eſt, nè ignis domum apprehendat præpedire, quàm obligari ad flammam extinguendam, poſtquam hæc jam dominatur tecto, totúmque ædificium depopulatur. Erudiat te hæc comparatio, ut prævenias, quod in tua poteſtate eſt, nè in juſtitiæ divinæ manus incidas, eáſque habeas in flammis purgatorii creditrices; potes idipſum præcavere ſatisfaciendo in vita: & tu vis legata relinquere, ut in ſclavitatis vincula delapſum, alii poſt mortem liberent?

(a) *S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 58.*

berent? Eſtnè hæc ,prudentia humana & Chriſtiana? *Beatiùs eſt liberum exire, quàm per vincula libertatem expectare.* Chriſtianæ pietatis opera, quæ tu ipſe, quamdiu favet ſanitas, exercueris, impetrabunt tibi à DEO gratiam Chriſtianâ patientiâ dolores ultimæ infirmitatis ſuperandi, & ſanctâ morte certam reddendi ſalutem tuam, quod non eveniet, ſi ſolùm hæredibus commendes eorum executionem, poſtquam vivere desiêris. Opera quæ ipſi facimus ſemper ſunt efficaciora, & ſecuriora.

Illud obſerva, dum condis teſtamentum, ut id ſubſcribas in ſtatu gratiæ conſtitutus, nam quantumcunque pium ſit, perdes totum meritum gratiæ, & præmium gloriæ, ſi illud ſubſignaveris in ſtatu peccati mortalis (a) Inter alios hæredes recorderis Chriſti Domini, quem in aliqua pia cauſa inſtituas hæredem. *Moriens ſic facias, quod ſæpe hortatus ſum:*

(a) *Navar. man. Cap. 26. n. 36.*

si unum habes filium; putes Christum alterum: si duos; putes Christum tertium: si decem; putes undecimum: qua enim fueris ratione excusandus, si Christum ad hæreditatis communicationem non admiseris. (a) Verè deploranda est nonnullorum insania, qui dum vivunt, possunt facultatibus suis uti in satisfactionem pro debitis apud justitiam divinam per peccata sua contractis, qui opibus super domum suam liberaliter è cælo depluis non augent sibi gloriam cælestem, & coronam non geminant, in regno veræ beatitudinis, operibus Christianæ pietatis tribuendam. Hoc totum negligunt. Et cur? ut hæredes suos semetipsis feliciores relinquant. An non hoc est hæredes suos amare magis quàm semetipsum? Instar montium, qui in valles cum pinguiore succo suæ terræ dimittunt pluvias, cælitus acceptas, remanéntque

(a) *S. Augustin. apud S. Antoninum in vita Clerici p. 4. tit. 40. cap. 1.*

nentque postmodum aridi, & sicci.
O deflendam cæcitatem! si tamen
compassione dignus est, qui non in-
telligit, quòd vera charitas debeat
incipere à seipso. Meminisse alio-
rum, & oblivisci suimetipsius: di-
tare alios in tempore, & se depau-
perare in æternitate; inordinatus a-
mor, imò stultitia est. Si ergo pru-
dens es, si te verè amas, stude tibi-
metipsi providere, securum te red-
dere ab inferno, abbreviare purga-
torium, & te promovere ad altiorem
gloriæ cælestis gradum.

Hôc suppositô, si regulam à me
desideres, quam in temporalium fa-
cultatum tuarum applicatione ad
majus æternæ felicitatis incremen-
tum teneas: Respondeo absolutè lo-
quendo, quòd eleemosynæ illæ, quæ
destinantur in spirituale beneficium
animarum, sint DEO gratiores, &
respectu tui magìs meritoriæ, quàm
quæ ordinantur ad utilitatem cor-
poris: ídque ex tribus causis. I. Ra-

 tione

tione beneficii, quod præſtatur (a) ſpirituale enim bonum, ad quod cooperamur, eſt ex natura ſua nobilius, DEóque acceptius, quàm corporale: hinc ſi bonum illud promoves, per quod extenditur, propagatur, & proficit obſervantia legum divinarum, vel convertitur peccator aliquis; præſtas Eccleſiæ beneficium longè altioris ordinis, DEôque præbes donum multò gratius, quàm ſi bonum corporale quodcunque procurares.

2. Ratione illius, cui præſtatur; nam anima eſt incomparabiliter majoris pretii, valoris, & æſtimabilitatis non modò quàm corpus humanum, ſed quàm ſit totus mundus, ſiquidem unica anima nobilitate ſua tranſcendit totam rerum corporearum univerſitatem, tum quòd ſpiritus ſit, & ſubſtantia DEI capax; tum etiam quòd elevata ſit, ad DEItatis participationem per gratiam ſancti-

fican-

(a) *D. Thom. 2.2, qu. 32, art. 3.*

ficantem, quâ prærogativâ excedit in pretio, quid quid in rebus materialibus est vel esse potest pretiosissimum, & ideo illa pietatis opera, per quæ anima ex abominando peccati luto extrahitur, tantò excellentiora sunt aliis operibus, queis corpus mundi hujus miseriis subtrahitur, quantò malum culpæ excedit omnes alias calamitates, & quantò bonum animæ transcendit omnia mundi bona. Quod considerans S. Chrysostomus, dicere non dubitavit: *Etsi immensas pecunias erogaveris, plus tamen effeceris, si unam converteris animam.* (a) Ex quo sequitur, quòd sicut cujusque impensius studium esse debet, ut majore solicitudine sibimetipsi provideat circa ea, quæ spectant ad bonum animæ, quàm quæ corpus concernunt; ità pariter debeat prospicere bono proximi, priùs quoad animam, deinde quoad corpus, cùm proximum te-

 neatur

(a) *S. Chrysost. orat. 3. contra Judæos.*

neatur amare, ſicut ſeipſum. 3. Quia exercitia, & actiones ſpirituales, quibus obtinetur communicatio ingentis illius boni, quô animæ ſalvantur, ſunt excellentiora majoríſque momenti, quàm opera corporalia, quibus ſuccurritur vitæ temporalis ſuſtentationi, quod manifeſtè apparet ex DEI ipſius exemplo nobis præmonſtrato: is enim providendo nobis de omnibus neceſſariis ad corporis conſervationem, non impendit niſì unicum verbum, quô creavit cælum, terram, & elementa: *dixit, & facta ſunt.* Sed ut animas ab horrenda peccati miſeria liberaret, deſcendit de cælis, & humanitatem noſtram induit; impendit triginta tribus annis operam ſuam in agendo, patiendo, docendo, etiam in cruce moriendo, ut homini conferret ſalutem gratiæ, & præmium gloriæ. O quàm pauci hominum in piorum operum exercitatione ſequuntur ductum ſolidiſſimarum veri-

veritatum iſtarum, vel quia illas ignorant; vel quia ſeducti occultô deſideriô famam ſuam ad poſteram ætatem tranſmittendi, & relinquendi ſplendidam nominis ſui memoriam, quærunt quæ publica ſunt, ſonora, & in oculis humanis multùm apparentia; vel quia ſunt exigui, & debilis intellectûs, nec ad fundum penetrant rerum ſpiritualium, nec tam ſublimè ſe attollunt, ut ad altitudinem valoris earum perveniant: ideo ſinunt ſe abripi à rerum materialium vano colore, cum damno verè deplorabili, ſiquidem animam ſuam defraudant magnô meritô, & alios deſtituunt magnô auxiliô.

Reflexiones Particulares *Supra teſtamentum Eccleſiaſticorum, & Religioſorum.*

§. XI.

SCio, quòd non omnes ſint capaces condendi teſtamentum, inter

ter quos meritò considerandi veniunt Ecclesiastici, & Religiosi: Ecclesiastici bene sciunt, quid in hac materia doceat Theologia, unde solùm in præsenti agam, ut desuper intelligant sensum S. Ambrosii reprehendentis clericos cognatorum amore infascinatos, qui, ut alienum patrimonium augeant, pœnitenda liberalitate dubiā reddunt propriam salutem. O quàm bene loquitur Mediolanensis Antistes: *Neque enim propterea te DEO dicásti, ut illos* (nempe cognatos) *divites facias : sed ut tibi vitam perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretiò miserationis peccata tua redimas.* (a) Metuis fortasse, nè non post mortem tuam querulentur amici, minùs piè à te negata sibi fuisse facultatum suarum per tuam substantiam augmenta? noli hæc lamenta prospicere, sed potiùs inspice, quòd tu justiorem querelam movere debeas, quòd illi te vel privare nitan-

(a) *S. Ambros. lib. 3. offic.*

nitantur bonis æternæ gloriæ, vel ea tibi multùm diminuere. *accusant, quòd eos divites non feceris, cùm te velint æternæ vitæ mercede fraudare.* Revoca in memoriam celebrem S. Joannis Climachi sententiam: *Melius est contristare parentes, quàm Dominum JESUM. nec te moveant tuorum lachrymæ, nè tu tibi ipsi æternas lachrymas parias.* (a)

Quòd personis Religiosis professis per sacros Canones (b) non liceat testamentum condere, non est facilè, qui ignoret; quia hoc sapit proprietatem rerum, cujus Religiosi professi capaces non sunt, non solùm quoad Dominium, sed etiam quoad usum, & dispositionem independenter à consensu superiorum. Et revera prudenter dubitari potest de salute Religiosorum eorum, qui relinquunt post mortem legata notabile pretium attingentia, quantumvis res illas collegerint de superiorum

(a) *S. Climac. Gradu 3.* (b) *Authent. Ingressi cap. de Sacros. Eccles.*

riorum suorum venia, cùm revera non possint se eximere à Sacri Concilii Tridentini definitione, quæ vult, ut supellex eorum, qui votis religiosis adstricti vivunt, sit conveniens statui paupertatis, quam profitentur, & nihil superflui habeant (*a*) sed nec latet, quid Innocentius III. Decreto universali constituerit, nimirum: *Quòd si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis, extra Monasterium subterretur, secundùm quod B. Gregorius narrat in dialogo se fecisse.* (*b*) Quâ ergo spe ac fiduciâ salutis suæ ad Tribunal DEI abeunt illi Religiosi, qui in morte constituunt hæredes pecuniæ, supellectilis, & tantùm non habitationis consanguineos suos, idque cum adeò urgente executione, ut Monasterium vel litem incurreret admodum arduam, vel certè reum ageretur usurpati dominii, si debi-

(*a*) *Trid. Seff. 25. de Regul.* (*b*) *Cap. ad Monaster. de statu Monach.*

debitam superioribus circa defuncti res dispositionem ex Religiosæ paupertatis jure vellet manu tenere. Bone DEUS! quæ spes sic obeuntis! Non ignoro asylum, ad quod hujusmodi confugere possunt, in quo securos se subsistere autumant: consuetudinem prætendunt, id semper in usu fuisse asserunt: sed errant; non est iste usus, sed abusus, qui multos nimiùm quàm facit suspirare, præprimis quidem illos, qui domos Religiosas gubernant, & zelosè observantiam regularum ex munere promovere student. Debet igitur abusus hujuscemodi cedere rectæ rationi, legi ac suscepti statûs obligationi. Moriaris, per me licet, hôc modô, abeas fraudulentis his blanditiis comitatus ad divinum tribunal: experieris certò irreparabili damno tuo, quid quantúmque consuetudo hæc pessima te sit defensura: Nam (Augustinum audis) *Dominus in Euangelio, ego sum, inquit, veritas; non dixit,*

dixit, ego sum consuetudo: Itaque veritate manifestata cedat consuetudo veritati. (a)

Post sextam opusculi hujus editionem, in manus meas devenit vita dominæ Courcel de Pourlan gallicè conscripta, in qua legi casum, quem non nisi ex Divinæ providentiæ admirabili dispositione, ceu intento meo aptissimum, mihi innotuisse persuasum habui, & est ille ipse, quem breviter expositum eo. In Abbatia Migetana, sita in Burgundia superiore duobus leucis ab urbe Salina distante, erat Monasterium Ordinis S. Francisci, in quo inter Religiosas, quas Urbanistas cognominant, non admittebantur nisi personæ lectissimæ, & splendore natalium illustrissimæ. Hinc candidatis incumbebat Nobilitatis suæ prosapiam per longum proavorum illustrium ordinem probare, priusquam ordini desiderato adlegerentur. In hac Religiosa domo nihil audiebatur

(a) *S. Aug. de bapt. parvul.*

tur agi, quod majus aliquod ſcandá-
lum potuiſſet gignere, aliqui abuſus
in eam ſolummodo irrepſèrant, &
quidem inter alios præprimis notare
fuerat abuſum contra votum pau-
pertatis. Religioſarũ nonnullæ, quæ
à cognatis ſuis, livellos, ſive annuas
conſignationes pecuniarias, accipie-
bant, illas ipſas prout & in quod lubu-
it, impendebant, ùt ſi proprietatẽ, &
non ſolum uſum indultorum nũmo-
rum haberent, plenum circa eos do-
miniũ exercebant, eò uſque delapſæ,
ut etiam in morte de illis diſponerent
ex ultima voluntate. Fuit earum ali-
qua, quæ per vitæ ſuæ decurſum va-
ria mobilia, intellige, pannos, line-
am, imò & argenteam ſupellectilem,
quæ ad cubiculi ſui ornatum deſide-
rari viſa eſt, congregaverat. Sic mi-
ſera ſub titulo neceſſitatis, ac decen-
tiæ infeliciter ſibi blandiebatur, ut
amori commoditatum ſecuriùs lita-
ret, & affectui erga vanitates ſub falſa
honeſti ſpecie ſatisfaceret. Incidit
hæc

hæc ipſa tandem in lethalem morbũ, & videndo ſe à Medicis jam derelictam, atque ex certa eorum ſententia morti propinquam, petiit ad ſe vocari Abbatiſſam eum in finem, ut impetraret ab ea facultatem de rebus, quas habebat, diſponendi in favorem neptis ſuæ monaſterii ejuſdem Profeſſæ. Sed circumſpecta Mater judicavit petitis ejus non eſſe deferendum, juſſit tamen eam ſecuram eſſe, quòd nihil defuturum ſit nepti ejus, unà promittens, ſe ſtudioſiùs invigilaturã ſingulis ejus neceſſitatibus: ſed moribunda perrexit geminare preces, ac inſtare, ut obtineret, quod voluit. videns tandem, quòd omnibus ſuis precibus Abbatiſſam in vota non flecteret, acceptâ repulſà minimè contenta, convertit ſe ad alteram lecti ſpondam, & indignabunda dorſum obvertit ſuæ Superiori. Poſt hoc Abbatiſſa exivit ad breve tempus ex infirmæ cella, ut ſpatium ei daret, ad conſcien-

tiæ suæ penetralia se convertendi, & agnoscendi suum defectum: verùm vix Venerabilis Mater ad cubiculum suum rediverat: ecce! ægrotans Religiosa obruitur horrendis con-vulsionibus. quod, ùt notat Infirma-ria, currit ocyùs ad Superiorem, pro-perat hæc quàm potest, celerrimè, sed: ô tremenda DEI judicia! cùm decumbentis cubiculo appropin-quat, videt horrificum monstrum insidere portæ, quod terribili aspe-ctu, & minaci rictu præpedivit in-gressum. Festinè currebatur pro a-qua benedicta, etiam adferebatur, sed virtuti ejus pertinaciter obsiste-bat monstrum, & portam præclude-bat. Vocatur Pater Spiritualis mo-nasterii, qui superpelliceo & stolâ in-dutus in comitiva omnium Religio-sarum Virginum, præ terrore attoni-tarum accedit ad obsessum cubicu-lum, ibique solitis Ecclesiæ exorcis-mis usus, tandem, ut cederet averna-le monstrum, sacrâ hâc violentiâ ef-fecit

fecit. Quo felici eventu animatus Sacerdos, cum DEO dicatarum Virginum corona cubiculum ingreditur, ſperans fore, ut animæ decumbentis Religioſæ ſpiritualibus auxiliis opportunè ſuccurrat; ſed, eheu! quàm horrendum ſpectaculum eorum oculis ſe objecit! mortuam deprehendunt infauſtam virginem, vultúque adeò monſtrosè deformem, ut hoc ipſum veſtigium illis ſufficiens nota fuerit, deplorandi ſtatûs animæ à ſuo corpore divulſæ. Quantum horrorem, quantum terrorem in ſacro hoc clauſtro non cauſaverit eventus plenus circumſtantiis omni ex parte funeſtis; facilè intellexeris: nec opus eſt, ut ego hìc aliud addam, quô demonſtrem, quàm juſtè religioſam paupertatem profeſſos hic caſus terreat, ſi ſub falſo neceſſitatis prætextu ſibi noxiè blandientes rerum, per conniventiam ſuperiorum conceſſarum, uſum in damnoſam detorqueant proprietatem

voto

voto paupertatis è diametro adversantem.

Opto tamen, ô animæ intrà religionis septa DEO consecratæ! ut unicã supra lachrymabilẽ casum istũ faciatis reflexionem. Nunquid dignum accuratiore mentis indagine objectum vobis videtur, contemplari hanc domicellam, quæ postquam ductu amoris divini se liberè, ac promptè spoliavit omnibus divitiis, quarum possessionem per illustres opulenósque natales nacta fuerat, postquam tot annos vixit in domo religiosa, inter tot virtutum actus cum tanta spiritûs cultura, in ipso mortis limine jam constituta, ponè ipsum Christi judicis tribunal, cui se vicinam consistere agnoscebat, quæ, inquam, post hæc omnia tandem in gratiam neptis suæ ostendit se reculis nullius momenti adhærere affectu tam pertinaci, ut totaliter oblita fuerit animæ suæ, æternitatis, ac DEI ipsius? nunquid exhorrescis ad vesanam

vesanam hanc cæcitatem? quod si ità est, ùt esse nullus dubito, si sortem similem ex animo reformidas; in tempore, nè periculum hujuscemodi incurras, providendum est, quod facies, passionibus tuis nè in minimo quidem adulando, sed earum desideria strenuè refrænando. Contumax ille erga hæc crepundia affectus, de quo locuti sumus, non fuit subitò natus: non; sed fuit successivè conceptus, suísque intervallis per vitæ cursum formatus nutriendo propensiones priùs minores, subinde affectus majores erga res paupertatem religiosam dedecentes, quibus se non noxia cupiditate affici persuasum habebat; quia nimirum occasio id agnoscendi deerat: hæc verò dum se obtulit, apparebat eam affectu tam radicato illis adhæsisse, ut nè ipse quidem mortis terror illam ab iis revellere suffecerit. Si judiciô polles, discas alienô exemplô sapere, & tuæ meliùs prospicere saluti.

ME-

MEDITATIO III.

De ſpe.

§. XII.

PUNCTUM I.

1. COnſidera, unicum motivum, quod tuam reſignationem morari poſſit, eſſe incertitudinem, utrùm æternam gloriam conſecuturus ſis poſt mortem nec nè? quis ſcit, inquis, an ſalvandus ſim? ſed macte animis! non confundit ſpes Chriſtiana, utpote ſolidiſſimis tribus fundamentis innixa, quorum primum eſt immenſus amor, quô Divina Majeſtas erga te fertur. DEUS, in cujus poteſtate eſt dare gratiam & gloriam, & qui utramque vult dare, quia te amat, & amat te, quia es ſua creatura, cui ex mero amore dedit eſſe: amat te, quia redemptus es pretioſo ſanguine Filii ejus. Si pictor celeber maculatum fuiſſe videat iconiſmum majore artis

impendio ſcitiſſimè à ſe elaboratum, ſi conſpurcatum, vilipenſum, & in fruſta dilaceratum, quantum exinde non concipit dolorem? quantùm è contrario non gaudet, ſi penicilli ſui ſedulum artificium videat principe domûs loco expoſitum cunctorum patere aſpectui, & univerſorum admirationem cum voluptate parere, laudésque ac encomia omnium promereri. Et unde iſtud gaudium? quia eſt opus manuum ejus. Et quantillus eſt pictoris iſte in tabellam ſuam affectus ad divini Plaſmatoris in nos amorem? certiſſimum habe, nullum artificem tantùm poſſe opus ſuum amare, quantùm DEUS te amat, imò quantùm amat tuum bonum, ac deſiderat te participem reddere ſuorummet bonorum, cupiendo tibi æternam beatitudinem majore fervore ac zelô, quàm tu eam ipſe valeas concupiſcere. Quid poteſt amplius dici?

Non ignoras DEUM eſſe infinitè bonum, ſcis etiam bonitatem ejus ex natu-

natura ſua eſſe ſui communicativam: ſi ergo peccatis tuis per vitæ curſum multoties graviterque DEUM offendendo inhonorâſti, noli, ah! noli illis offenſis hanc ſuperaddere, ut dubites de ejus bonitate, cui per diffidentiam irrogas graviſſimam injuriam, quia malitiam tuam divinæ bonitati exæquas, quaſi tantùm aut plus potuiſſes malus eſſe, quantùm Deus bonus eſt. Erras: ſiquidem non verificatur de te, quod Auguſtinus dixit verificari de nullo poſſe: *Ille diffidat, qui tantùm peccare poteſt, quantùm DEUS bonus eſt, quod nullus facere poteſt.* Scis DEUM felicitatem ipſam eſſe, quamobrem habet infinitam inclinationem omnes à miſeriis liberandi, & multò magis à damnatione æterna, quæ miſeriarum pœnalium eſt maxima. Scis perfectiones divinas eſſe infinitas, & earum quamlibet iterum eſſe infinitam, adeò ut ab omnibus ſimul, & ſingulis ſeorſim DEUS extimuletur, & impellatur, ut ſummæ bonitatis, quâ gaudet, parti-

ticipem te reddat; quomodo igitur non ſperes te id obtenturum?

II. Conſidera te in hunc finem à DEO creatum fuiſſe ex nihilo, ut æternùm beatus fieres; & ut jus ad cœleſtem gloriam, à Proto-Parentibus noſtris amiſſum, recuperares, mediante morte unigeniti Filii ſui, adoptavit te per baptiſmum in ſuam filiationem. Sed nunquid divina Sapientia in theſauris ſuis mille modos alios habuit genus humanum in ſtatum gratiæ reſtituendi? non eſt, qui de hoc dubitet: cur ergo ad extremum illud humilitatis ſe demiſit, ut Filium ſuum proprium vellet animam & carnem humanam aſſumere, & ab eodem ſanguinem, vitámque temporalem exigeret; quid amabò Divinam Majeſtatem ad hæc perurſit? infinitus amor erga hominem, ut oſtendendo quanti nos æſtimet, quantùm nos amet, animaret ſpem noſtram, & fiduciam erigeret. Loquatur de hoc themate Auguſtinus

gustinus: *Quid enim* (inquit) *tam necessarium fuit, ad erigendam spem nostram, quàm ut demonstraret nobis, quanti nos penderet DEUS, quantúmque diligeret.* (a) Et adhuc apud nos locum habeat vel minima diffidentia post tantum amoris divini excessum? Intuere, obsecro, Salvatorem tuum in cruce suffixum, & quantùm te amârit, ubertim intelliges; videbis, quòd benignissimus amor suus longè majus aliquid tibi præstiterit, quàm si paradisum dedisset. Quid, quæso, promisit tibi, si in gratia ejus piè obieris? quòd cum ipso æternùm victurus, & æternùm beatus in ipso sis futurus. Hoc promisit: sed quid præstitit? unigeniti Filii sui vitam pro te sacrificavit per mortem. Tuam hìc sententiam exposco, edissere; an non tibi videtur magìs incredibile: quòd immortalis mortuus sit; quàm quòd æternùm vivere datum sit homini mortali? hoc tuum igitur sit solatium, hoc

(a) *S. August. de Trinit. L. 1. c. 10.*

hoc ſpei tuæ ſecuriſſimum argumentum: quòd magis incredibile videbatur, jam eſſe adimpletum.

III. Conſidera, non eſſe cur terreat te peccatorum tuorum numerus, queis demeritus es particeps fieri effectuum tam ingentis amoris. Nunquid enim S. Petrus divinum Magiſtrum ſuum negavit? nunquid S. Paulus illum perſecutus eſt? nunquid S. Maria Magdalena eum inhonoravit? & tamen conſecuti ſunt paradiſum. Alienorum peccatorum reus es, quorum cauſa, vel occaſio fuiſti? quot non animas ad infernum miſit Thais, Pelagia, & Maria Ægyptiaca? & tamen cœlum adeptæ ſunt; quot non Guilielmus Dux Aquitaniæ? attamen & ipſe in cœlo regnat. Quòd DEUM offenderis, certus es, ſed non es certus, utrùm peccata tua ſint tibi remiſſa, & hoc eſt, quod te facit timere? Sed nunquid ea confeſſus es? ità eſt, inquis; ſed quis me ſecurum reddit, quòd

con-

confeſſiones meæ non fuerint irritæ
vel ex defectu examinis, vel ex defe-
ctu doloris, aut propoſiti? ſed nun-
quid in confeſſionibus particularibus,
vel ſaltèm in generali conveniens e-
xamen inſtituiſti, per quod omnia
peccata in memoriam revocares?
quod ſi ità eſt, debes credere, quòd
nullum te effugerit, & licèt tibi mul-
ta excidiſſent, debes nihilominus per-
ſuaſum habere, quòd DEUS tibi illa
remiſerit, acſi eadem cum cæteris
clarè, ac diſtinctè fuiſſes confeſſus.
Nunquid voluiſſes illa omnia confi-
teri, ſi omnia occurriſſent? ità eſt;
voluiſtíne te decipere? certè non.
Acquieſce igitur: hæc bona voluntas
te certum reddit de optato effectu:
non enim deſiderat DEUS plùs quàm
poſſis. Nunquid deteſtatus es pec-
cata tua, nunquid ea deploraſti? ità.
Nunquid etiam hìc & nunc abomina-
ris illa ex toto corde? ità. O! qua-
re ergo, vel quid times? An neſcis
non eſſe peccata, nec quoad nume-

rum, nec quoad malitiæ gravitatem adeò enormia, ut unica vera pœnitentia delere illa non valeat? Nunquid DEUS expreſsè dixit: *Si fuerint peccata veſtra ùt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* (a) Fors dubitas, utrùm pœnitentia tua vera & genuina fuerit? ſed nunquid ſeriò voluiſti ad DEUM converti? Hæcpeccatorum deteſtatio, & renuntiatio, ſyncerus illead paternum DEI ſinum reditus te jubent certum eſſe de venia, faciúntque mereri gloriam æternam. Neque ſubmetuas quaſi dolor tuus non fuiſſet tantus, quantum voluiſſes; DEUS enim in nova lege pœnitentiam inſtituit Sacramentum, ut per virtutem Sacramenti certiores eſſemus de venia, quæ ſupplet ac perficit contritionem imperfectam, quam dicimus attritionem.

PUNCTUM II.

I. CONſidera, ſecundum ſpei noſtræ fundamentum eſſe miſe-

(a) *Iſai. 1. v. 18.*

ricordiam DEI in expectanda peccatoris conversione. Eheu! quot, quámque enormia peccata non committuntur in mundo intrà spatium viginti quatuor horarum, & multò plura per decursum unius anni! hæc omnia DEUS videt,& tamen tolerat. Eccur? ut det peccatori locū & tempus pœnitendi, & culpas suas plangendi, ut eas condonare possit. *Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri.* (a) Non latet illum, quòd hæc patientia cedat in magnum præjudicium suum, quia ex illa multi sumunt occasionem illum magìs offendendi; & tamen expectat, ac tolerat per dies & annos. Priusquam mundum diluviô puniret, præmonuit per arcæ Noëticæ fabricationem; & quamdiu expectavit? centum annis. Reflecte mentis oculum ad præteritos vitæ annos, &, ô! quot peccata non reperies in omni ætate, omni die,& omni genere? & DEUS te sustinuit usque in

(a) *Isa. 30. v. 18.*

in hanc horam, quia eſt infinitè miſericors. Nunquid quoties peccâſti, toties te morte improviſa punire poterat? poterat certiſſimè. ſed quare idipſum non fecit? ut tibi ſpatium pænitentiæ daret, quia vult tibi veniam elargiri.

II. Conſidera quanta ſit DEI benignitas peccatores ad pænitentiam vocantis,& invitantis ad conſequendam remiſſionem peccatorum. Ad civitatem Niniven miſit Prophetam Jonam; ad Davidem Nathanum; ut Samaritanam, & Samariam converteret, ipſe in perſona ad illam ivit; ut Judam ad pænitentiam emolliret, quæ quantáque non fecit? ſi modò porrectis auxiliis cooperatus fuiſſet. En quàm cor tuum erigat ſua miſericordia. Non ignoras DEUM promiſiſſe, quòd quocunque tempore ſe converterit peccator, non ei nocitura ſint peccata ſua, ſed eum ſalvum fore: *impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit impius ab*

impie-

impietate sua. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis - vitâ vivet, & non morietur. (a) Est autem divina promissio infallibilis, servabit igitur certò, quod promisit; modò peccator impleat annexam promissis conditionem. Quòd verò hæc conditio in te purificata sit, pro argumento non infimo est vocatio DEI, quâ te invitat, ut ad illum convertaris. Nunquid enim DEUS est, qui tibi inspirat hoc bonum desiderium sibi serviendi, & præparandi te ad mortem pro securitate illum in æternum amandi? Et nunquid correspondisti divinæ huic invitationi toto corde hanc sanctam præparationem amplectendo? ità est. Et quare hoc? nisi quia te pœnitet illum offendisse, nisi quia times culpæ reus coram tribunali ejus comparere: & ideo conaris illum tibi reddere propitium super peccatis tuis. Nunquid hìc & nunc es verè ac ex animo resolutus ad illum dein-

(a) *Ezech. 33. v. 12. & 18. v. 21.*

deinceps nunquam offendendum? quid dicis? Ità; ſum. Ergo *converſus es*, ergo veram converſionem exercuiſti, ergo cum ſumma fiducia ſperes, *quòd vitâ vives*, *& non morieris*. Scis, quòd DEus præcipiat, nè ullus, quamdiu vivit, diffidat vel deſperet de venia aut miſericordia divina, quod præceptô tam rigorosô commendat, ujus transſgreſſio cenſeatur eſſe gravviſſima, imò excepta infidelitate, & odio DEI, inter delicta reliqua maximum: (a) deſiderat igitur DEUS ad illius boni poſſeſſionem te perducere, ad cujus ſpem te obligat, & certum eſt, quòd tibi congrua ad talem finem media daturus ſit, cùm ſpem ejus conſequendi præcipiat.

III. Conſidera miſericordiam in ignoſcendo. Quid poteſt eſſe benignius? cum juramento proteſtatur, quòd non inclinet ad puniendum peccatorem, ſed potiùs ad remiſſionem omnium ejus peccatorum: *vivo ego*

(a) *D. Thom. 2. 2. quæſt. 20. art. 3.*

ego, dicit Dominus DEUS: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat. (*a*) Sancta quoque mater Eccleſia in hoc ipſo judicio te confirmat, cùm indulgere veniam proprium DEI opus eſſe deprædicat: *DEus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere.* Apoſtolus inſuper pro certo aſſerit, quòd DEUS ſibi gloriæ ducat, peccata remittere: *omnes peccaverunt, & egent gloriâ DEI:* (*b*) ſtudiosè pondera Doctoris gentium verba: videtur tibi, quòd dicere debuiſſet: *omnes peccaverunt, & egent Clementiâ DEI?* minimè: vult enim Paulus à nobis intelligi: tam gratam DEO eſſe remiſſionem & indulgentiam peccatorum, ut in ipſa felicitatem, & gloriam ſuam reponere videatur: hinc Eccleſia canit in ſacrificio miſſæ: *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam:* ſed cur iſtud? nunquid gratiæ redduntur pro receptis beneficiis, non pro alterius gloria, ſed de hac teſtamur noſtras

(*a*) *Ezech. 33. v. 11.* (*b*) *Rom. 3. v. 23.*

gratulationes? ſunt hæc veriſſima: quia tamen inter inſignia DEI erga nos beneficia eſt, nobiſcum facere clementiam; vult nos eandem ſuſpicere ceu partem non minimam gloriæ ſuæ. *Exaltabitur parcens vobis.* (a) quia nimirum oſtendit ſapientiam ſuam id reſtaurando, quod nos deſtruximus.

Dic mihi amabò nunquid ſecurus fores de remiſſione peccatorum tuorum, ſi hæc à tua voluntate penderet? abſque dubio. Scias igitur nec dubites, DEUM eſſe promptiſſimum ad eam tibi impertiendam, nec ulli eam negare, niſi nolenti eam ſuſcipere, cui inſuper invitus eam ſubtrahit. *Nunquam DEus deſerit hominem niſi priùs ab homine deſeratur.* (b) Deſideráſne peccatorum tuorum veniam? ità confido: En DEUS paratiſſimus eſt ad eam tibi elargiendam, ſi modò tu illam velis. atque adeò, quod metuas, omnino nihil eſt ſuper. Præter-

(a) *Iſa. 30. v. 18.* (b) *Concil. Trid.*

terquam, quòd hæc ipſa voluntas, quâ remiſſionem peccatorum tuorum efflagitas; hæc ipſa diligentia, quam ejus obtinendæ causâ per præſentem præparationem impendis, ſit prævenientis gratiæ DEI effectus: ſignum ergo manifeſtum tenes, quòd DEUS tibi velit ignoſcere hôc ipsô, quòd largiatur gratiam, veniam poſtulandi. En quanta propenſione DEUS ipſe feratur ad parcendum; tam facile, ac nobis eſt ſupplices ad cælum preces pro venia mittere, tam etiam facile eſt benigniſſimo Numini ad votum noſtrum eam indulgere, eôdem momentô, quö comparet in cælis actus contritionis, DEUS confert gratiam abſolutionis: *Aſcendit deprecatio, & deſcendit miſeratio.* (a) vix David compuncto corde dixit: *peccavi*, nec mora, & audiit: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum* (b) Similiter filius prodigus; ſimiliter Magdalena.

IV. Conſidera DEI benignitatem in

(a) *S. Auguſt.* (b) *2. Reg. 12. v. 13.*

in peccatore, pœnitentiam agente, recipiendo: non contentus gaudere ipse, totum paradisum in jubili societatem evocat. *Gaudium erit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* (*a*) Et quidem, quod velim oculatè dispicias, non dicit congratulamini vobis ô seraphini cum anima pœnitente: non, sed ait: *congratulamini mihi.* Acsi magis felicitas DEI esset, quòd animam perditam recipiat; quàm animæ bonum, quòd ipsa redaquirat DEUM. Si tu esses ovicula illa perdita, & ad sinum DEI tandem reversa, dubitaréfne, obsecro, an te sit recepturus Divinus ille ac optimus Pastor tuus? Ah! si dùm ab illo fugeres tot modis te quæsivit, nè summum bonum perderes: quantò magis tibi auxilio erit, ut reperias, cùm ipse desideras, cùm quæris desiderantem & quærentem te. *Contemnet te* (Augustinum audis, & ipsum olim aberrantem à DEO oviculam) *contemnet te, ô ovis, quærentem*

(*a*) *Luc. 15. v. 7.*

tem ſe, qui prior quæſivit contemnentem ſe, & non quærentem ſe? (*a*) Non tantùm non contemnet, ſed ocyùs peccata remittet, ocyùs amplexum paternum offeret, inſuper omnium offenſarum, quas à te perpeſſus fuerat, ſubitò obliviſcetur. *Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorũ tuorũ non recordabor.* (*b*) Verum eſt, nec diffiteor, omnia DEO præſentia eſſe, non ſolùm præſentia, ſed præterita etiam, etiam futura: Nihilominus immenſa DEI Miſericordia eò uſque ſe attollit, ut modum inveniat prodigiosâ methodô peccatorum oblivia, cum eorum præſentia conjungendi.

V. Conſidera DEUM non modò eſſe miſericordem & longanimem in expectando, & ad pœnitentiam vocando; non modò eſſe benignum in venia liberaliter elargienda, & paternè recipiendo peccatore: ſed etiam ſemper eſſe paratum ad eum, quandocunque reverſus fuerit, in amplexus

ſuos

(*a*) *S. Augſt. in Pſ. 69.* (*b*) *Iſa. 43. v. 25.*

ſuos cooptandum: quia ſemper, & hucuſque magnæ multæque ſunt miſerationes ejus. Magnitudo ſua, miſericordiæ ſuæ menſura eſt. *Secundùm enim magnitudinem ipſius, ſic & miſericordia illius* (*a*) Quem offendiſti, DEUS eſt, Pater dicitur, Pater multæ miſericordiæ: *Pater miſericordiarum.* (*b*) prima oratio, quam filius DEI nos edocuit, non duxit initium à verbis: *DEus omnipotens, Creator*; ſed: *Pater noſter.* Nil Pater moratur in ignoſcendo, conſiderat noſtra delicta, non ùt offenſas ſuas, ſed ùt miſerias noſtras. Si tu millies perdidiſti obedientiam filii, ille Patris viſcera nunquam amiſit. Peccavi, dicebat in perſona filii prodigi, id eſt peccatoris, S. Petrus Chryſologus; *ego perdidi, quod erat filii, ſed DEus, quod patris eſt, non amiſit.* Apoſtolorum Princeps drachmis volebat ponderare divinam miſericordiam: Domine quoties ignoſcam? *uſque*

(*a*) Eccli. 2. v. 23.
(*b*) 2. Cor. 1. v. 3.

usque septies? (*a*) Sed Christus illi mensuram tam arctam & ad libras restrictam ex manu excussit, sinè pondere & mensura delinquentibus ignoscendum esse innuens: *usque septuagies septies.* Quod legens Augustinus inquit: *omnia dimitti peccata voluit, qui ea septuagesimò septimò designavit.*(*b*) Quasi dicere voluisset, ùt idem commentatur, peccata quidem tua fundum habent, & mensuram; sed misericordia DEI infinita est, miserationes ejus non noverunt terminos: *Tua malitia mensuram habet, DEI pietas & clementia mensuram non habet.* (*c*)

PUNCTUM III.

I. Considera amorem, & merita JESU Christi, quæ sunt maximum efficacissimúmque argumentum ad persuadendam nobis spem veniæ, & consecutionem ætetnæ gloriæ.

(*a*) *Matt. 18. v. 21.*
(*b*) *S. August. Serm. 13. de verb. Domini.*
(*c*) *S. Chrysost. tom. 5. hom. 3. de Pœnit.*

riæ. Quis neſcit, quantum JESUS Chriſtus per triginta tres annos pro nobis egerit, quantúmque perpeſſus ſit? Et hæc eſt immenſa illa menſura ingentis ejus erga te amoris. Non eſt amoris demonſtratio ſublimior aut ſyncerior, quàm mori pro amato: *Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* (*a*) Dixit ipſe Salvator & Amator noſter. Ergo ſuus in nos amor adhuc major eſt, *quia pro impiis mortuus eſt.* (*b*) Quòd ſi ergo tantopere nos amavit, ut deſcenderit uſque ad dandam vitam pro nobis inimicis ſuis; quantò magìs daturus eſt nobis hìc & nunc gloriam ſuam, cùm volumus eſſe ſui amici: *quis dubitat, daturum amicis vitam ſuam, pro quibus inimicis dedit mortem ſuam?* (*c*) Quid igitur timeas? ſententia ſalutis tuæ eſt in poteſtate illius, qui ſummè te amavit, & amat

eò

(*a*) *Joann. 15. v. 13.*
(*b*) *Rom. 5. v. 6.*
(*c*) *S. Auguſt. de Trin. l. 3. c. 18.*

eò uſque,ut ſemetipſum dederit & dare paratus ſit totum pro te.

II. Conſidera, illum ipſum futurum judicem tuum, qui eſt tuus advocatus, ac ſedet ad dexteram Patris, cui vulnera ſua exhibet, amore tui ſuſcepta: quod plus eſt, ille conſtituit ſemetipſum pro peccatoribus, & pro omnibus poſſibilibus eorum offenſis, perpetuum interceſſorem. Viderat, quòd poſt beneficium Redemptionis, non ſolùm finis peccandi futurus non ſit, ſed quòd inſuper ea peccata certô modô plus malitiæ contentura ſint; & tunc cùm ipſi manifeſtum eſſet, quòd per peccata noſtra magis irritandus ſit, tunc conſtituit tanquam interceſſor in ſe aſſumere cauſæ noſtræ perpetuam defenſionem: *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem JESUM Chriſtum* (a) Scio bene, quòd tu multitudine deliStorum tuorum divinæ juſtitiæ ſatisfacere non poſſis: ſed macte animis: Chri-

(a) *Joan, 2. v. 1.*

Christus se obtulit ad satisfaciendum, & satisfacit pro te. Minimus Christi dolor, quem amore nostri passus est, est pretium superabundans comparatum ad debita peccatis totius mundi contracta ; nec quidquam certiùs persuasum habe, atque quòd Pater æternus infinitè magìs sibi complaceat in meritis, & satisfactionibus divini Filii sui, quàm illi displicere possint non tua solùm, sed etiam peccata omnia totius humani generis. Hinc securè potes remissionem culparum tuarum petere per merita JESU Christi, qui pretium sanguinis sui pro te expendit. Potéstne desiderari amplius aliquid ad spem tuam corroborandam ? quid diceres, si affigeres ad crucem Redemptoris tui folium, in quo conscripta est tua confessio generalis, & videres ex crucifixi plagis sanguinem ubertim profluere, qui deleret inscripta folio illi peccata: nunquid videreris tibi esse certissimus de plenissima eorum

indul-

indulgentia? atqui hoc ipſum jam factum eſt, teſtante id Apoſtolo: *Donans vobis omnia delicta: delens, quod adversùs nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci.* (a) Quid adhuc dubitas? Chriſtus ſemper promptus eſt ad applicandum tibi hoc pretium in omni neceſſitate tua, non niſi tuum conſenſum expectat: ex parte ſua gaudet venarum ſuarum pretiô pro te ſatisfacere tanquam opere amoris ſui proprio. Tandem ipſe vult te ſalvum fieri, non ſolùm quia te tantopere amavit, & amat; ſed etiam quia te proprietate maxima ſuum fecit, cùm pretioſo ſanguine ſuo te redemit; quamobrem ſi perires, non tibi ſoli perires: tuum eſſet malum; & ipſius, ut ità dicam, eſſet damnum, quia quantum ad te, perditum eſſet ſanguinis ejus pretium, & fruſtrà pro te expenſum: confide igitur, *qui vos tantô pretiô redemit, non vult*

(a) *Coloſſ. 2. v. 13. & 14.*

vult perire, quos emit. (a) Confide, tanti enim suâ interesse salutem tuam ostendit, ut tibi supra montem Calvarium providerit de Matre amantissima, quæ apud divinum Judicem, suum filium, erit advocata efficacissima. Dic ergo nunc fiduciâ plenus ſad illam: Eja ergo Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte, & JESUM benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria.

ACTUS FIDEI.

AGnosco mi DEUS, quòd tu sis prima & infallibilis veritas, & firmissimè credo, quidquid revelâsti, & per tuam sanctam Ecclesiam Catholicam credendum proposuisti Gratias ago tibi, quòd clementissimè dederis mihi in hac vivere, & desidero in eadem mori. Abrenuntio omnibus cogitationibus fidei contrariis

(a) *S. August. Serm. 10. de Temp.*

riis, quas mihi ſalutis noſtræ hoſtis in hora mortis ſuggerere poſſet.

ACTUS SPEI.

Cùm ſciam & credam, quòd benignitas miſericordiæ tuæ infinities tranſcendat miſeriam peccatorum meorum, & quia firmiſſimè credo, quòd quævis gutta ſanguinis Redemptoris mei ſit infiniti valoris, ſpero, mi DEUS! ſpero per ejus merita, & per gratiam tuam me conſecuturum ſalutem animæ meæ, & intraturum in poſſeſſionem gloriæ tuæ. Te igitur ſuppliciter oro, remove à me tentationes ad deſperationem & præſumptionem, ac concede mihi gratiam moriendi in ſpe ac fiducia, quam à me exigis, & quam tibi debeo.

ACTUS CHARITATIS.

O Summum bonum meum, te amo ex toto corde meo, & amo ſuper omne aliud bonum, quia es in-

finitè amabilis : ô mi DEUS ! nil aliud desidero, nil aliud suspiro, quàm te: idcirco abominor omnem amorem, qui non sit ad te directus. Volo vivere & mori nudus ab omni affectu erga creaturas, & volo cor meum repleri unicè, ac solo amore tui: non sum quidem dignus mori præ suavi amoris violentia, cupio tamen mori cum actu veræ ac perfectæ charitatis. Desidero beatitudinem tuam, non tam ut illâ gaudeam, quàm ut te æternùm amem. *ô amor ! qui semper ferves, nunquam tepescis, accendar totus à te, ut totus diligam te.*

COMMENDATIO ANIMÆ.

PRoficiscere anima mea de hoc mundo, in nomine DEI Patris omnipotentis, qui te creavit; in nomine JESU Christi Filii DEI vivi, qui pro te passus est: in nomine Spiritûs Sancti, qui in te effusus est: in nomine Angelorum, & Archangelorum:

lorum: in nomine Thronorum, & Dominationum: in nomine Principatuum, & Poteſtatum: in nomine Cherubim, & Seraphim: in nomine Patriarcharum, & Prophetarum: in nomine Sanctorum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum: in nomine Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum: in nomine Sanctorum Monachorum, & Eremitarum: in nomine Sanctarum Virginum, & omnium Sanctorum, & Sanctarum DEI. Hodie ſit in pace locus tuus, & habitatio tua in ſancta Sion. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. Amen.

ORATIO.

DEUS miſericors, DEUS clemens, DEUS qui ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas veniâ remiſſionis

evacuas; respice propitiùs super hunc famulum tuum N. & remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis Confessione poscentem deprecatus exaudi, Renova in me piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est, & unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemituum, miserere lachrymarum mearum: & non habentem fiduciam, nisì in tua misericordia, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte, Per Christum Dominum nostrum. *Resp.* Amen.

Commendo me tibi omnipotens DEUS: & tibi, cujus sum creatura, committo, ut, cùm humanitatis debitum morte inter-

terveniente persolvero, ad Auctorem meum, qui me de limo terræ formaverat, revertar. Egredienti itaque animæ meæ de corpore splendidus Angelorum cœtus occurrat: Judex Apostolorum mihi senatus adveniat: candidatorum mihi Martyrum triumphator exercitus obviet: liliata rutilantium me Confessorum turma circumdet: jubilantium me Virginum chorus excipiat; & beatæ quietis in sinu Patriarcharum me complexus ad stringat: mitis atq; festivus Christi JESU mihi aspectus appareat, qui me inter Assistentes sibi jugiter interesse decernat. Ignorem omne, quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat mihi teterrimus Satanas cum

ſatellitibus ſuis, in adventu meo me comitantibus Angelis contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat DEUS, & diſſipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie DEI: & juſti epulentur, & exultent in conſpectu DEI. Confundantur igitur, & erubeſcant omnes tartareæ legiones, & miniſtri ſatanæ iter meum impedire non audeant. Liberet me à cruciatu Chriſtus, qui pro me mori dignatus eſt. Conſtituat me Chriſtus Filius DEI vivi intrà Paradiſi ſui ſemper amœna virentia, & inter oves ſuas me verus ille Paſtor agnoſcat, ille ab omnibus peccatis meis me abſolvat,

atque

atque ad dexteram ſuam in electorum ſuorum me ſorte conſtituat. Redemptorem meum à facie ad faciem videam; & præſens ſemper aſſiſtens, manifeſtiſſimam beatis oculis aſpiciam veritatem. Conſtitutus igitur inter agmina beatorum contemplationis Divinæ dulcedine potiar in ſæcula ſæculorum.

℟. Amen.

ORATIO.

SUſcipe Domine ſervum tuum in locum ſperandæ ſibi ſalvationis à miſericordia tua.

℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus.

℟. Amen.

Libe-

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Enoch, & Eliam de communi morte mundi.

℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Noë de diluvio.

℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Abraham de Ur Chaldæorum.

℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Job de passionibus suis.

℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Isaac de hostia, & de manu Patris sui Abrahæ.

℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui,

tui, ſicut liberâſti Loth de Sodomis, & de flamma ignis.

℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti Moyſem de manu Pharaonis Regis Ægyptiorum.

℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti Danielem de lacu leonum.

℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti tres Pueros de camino ignis ardentis, & de manu Regis iniqui.

℟. Amen.

Libera Domine animam ſervi tui, ſicut liberâſti Suſannam de falſo crimine.

℟. Amen.

Li-

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti David de manu Regis Saul, & de manu Goliæ.

℟. Amen.

Libera Domine animam servi tui, sicut liberâsti Petrum & Paulum de carceribus.

℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam Virginem, & Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberâsti, sic liberare digneris animam hujus servi tui, & tecum facias in bonis congaudere cœlestibus.

ORATIO.

COmmendo tibi Domine, animam meam, & precor te Domine JESU Christe Salvator mundi, ut propter quam ad ter-

ram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum finibus insinuare non renuas. Agnosce Domine creaturam tuam, non à diis alienis creatam, sed à te solo DEO vivo, & vero; quia non est alius DEUS præter te, & non est secundùm opera tua. Lætifica Domine animam meam in conspectu tuo, & nè memineris iniquitatum mearum antiquarum, & ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licèt enim peccaverim, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non negavi, sed credidi; & zelum DEI in me habui, & DEUM, qui fecit omnia, fideliter adoravi.

Laus DEO.

W boiaźni Zucha Bozy ducha wypuścił. Dziwny
Wzor pokuty świętey wnim. Dziwna moc iey na ka-
żdy raz, choćy godzinę przed śmiercią y w samey śmier-
ci. Oyciec krol dziwnie był z oney śmierci iego zasmucony.
ktorego cieszy Piotr Blesensis mądrymy nabożnym
listem tych słowy: Zdradliwy świat, żywot krotki;
Koniec niepewny, Wyście przeraźliwe, Sędzia stra-
śliwy, kaśń bez konca etc.

Pokuta Krola Henryka w Angliy.

A°. 1183. Roku tego Krol Henryk Młody Angliy długi z Oycem Krolem Woynę y Nieprzyiazni wiodąc żywota w pokucie takiey dokonał. Gdy w Wielką Niemoc upadł, y czuiąc Się iuż u Konca prosił Oyca, aby do niego przyiachał, ale on Nieufaiąc zdrady Się obawiaiąc, tedy zezwał Biskupy, Opaty, y Zakonne duchowienstwo, y Uczyniwszy taiemną Spowiedź, ponim iawnie grzechy Swoie wyznawał. potym podał Marszałkowi Swemu Krzyż Swoy, aby go do Ieruzalem zaniosł. a zdiąwszy z Siebie Szaty, obłokł Się we Włosiennicę, powroz włożył na Szyie Swoię. y związawszy gardło Swe, mowił Biskupom y innym Zakonnym: Tym powrozem ia Niegodny grzesznik znam Się za przewinionego y podaię Się Wam sługom Bożym: prosząc aby Pan Nasz Jesus Christus, ktory na Krzyżu łotrowi grzechy Swe wyznawaiącemu odpuscił: za modlitwą waszą, y niewymownym miłosierdziem Swoim, zmiłował Się nad Nieszczęsliwą duszą Moią. y rzekli wszyscy, Amen. A potym rzekł: wleczcie Mię z tego łożka tym powrozem, a położcie mię na popiołowym łożku, ktore był sobie zgotował, y Uczynili tak iako kazał. y położyli pod głowę y nogi dwa kamienia czworowęgielne y opatrzony ciałem y Krwią Panską